

AB
14856



C.c. 1452

Lib. grammat. & antiquar.
in Octavo
N. 80.

II 1 a 80

Compt. 1495.

INSTITVTIO
POETICA,
EX R. P. IACOBI PON-
TANIE SOCIET. IESV
potissimum Libris concin-
nata.

BREVITER EIVS FINEM, PAR-
tes, & cuiusque partis proprietates, adhæc qui-
bus rebus verè bonum, omniq̃ numero
absolutum, ac probabile carmen effi-
ciatur, edocens.

OPERA M. IOANNIS BVCHLERI
à Gladbach.

EDITIO SEPTIMA PRIORIBVS
correctior, auctior, luculentior,



COLONIÆ,
Sumptibus Bernardi Gualteri.
ANNO M. DC. XV.

AD LECTOREM CANDI-
DVM IOANNIS CORNELIA-
dæ Angli pro Poetica institutione
programma.

Quid sit, & ipsa quibus perfecta Poëtica fiat
Partibus, eiusdē diuersa poemata, itemq;
Quid deceat, quid non quouis in carmine vate,
Quæ virtutis ei, vitijq; existat origo,
Cui nouisse libet (vati libuisse futuro
Addecet) hunc emat, hunc legat, omnia tradit
ad artem.

Hanc perdiscendam qua sunt accommodata: lin-
quit

Intactum nihil, in minima quâ parte nouello
Iamq; inceptanti valeat prodesse Poëta.

Qua, scripsere quidem multi, ratione, modoq;
Omne genus carmen docta splendet ab arte,

At doctis tritisq; diu: Hic documenta tenellis
Proponit, monstratq; viam qua ducit eodem.

Quis bene perspectis non quod remoretur eus-
tem

Est super: experiaris, idem testabere mecum.

Si concisa tamen nimis hæc fortasse putabis,

Qua tibi Buchlerus breuitatis amore coëgit,
Pontani, & Vide doctissima consule scripta:

Quod si Scaligerum libeat sociare duobus,

Plura parata putes tibi, quam sit habere necesse.

VTRVM

UTRUM NASCATUR AN
fiat Poeta,

CAPVT I.



QUANQVAM Poetica Naturam siue ingenium maxime desideret, vt ne quid tamen ad perfectionem desit, Artem quoque, & præterea Exercitationem, Imitationem deposcit. Horatius allata quæstione, Naturane an Ars plus ad Carminis laudem proficeret, alteram ab altera separari, ac diuelli non posse, asseruit.

*Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quasitum est: ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quod profit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè*

Ars tanquam certissima dux, viam demonstrat: quam si fideliter sequemur, nunquam offendemus. Et quamuis non pauca sint, quæ nullis præceptionibus pariuntur, propterea quod à Natura inseruntur, nihilominus eadem Naturæ dona ab Arte magistra perficiuntur.

NOTATIO, ET NATURA
Poëtices.

CAPVT II.

POETÆ nomen παρὰ τὸ ποιεῖν deflexum est. Quam vocem facere & fingere cum interpretentur, Poëta nobis Factor, & Fictor, siue imitator; & Poëtica proinde Ars faciendi, & fingendi, siue imitandi exponetur. Fingere enim seu effingere est imitari: nempe rem illam, cuius imago, & similitudo fingitur: & qui imitatur, effingit quippiam. Poeta cum non tantummodo rerum exstantium formas, & simulacra elegantissime

tissime imitando consequatur, & exprimat; sed insuper non exstantium, quæ tamen exstare possent, & ita possent (quod quidem magis ipsius est officium) nouas, & mirificas omnino species, ac similitudines præclaro quodam modo progignat, & tanquam è nihilo res fingendo producat, vtramq; illam significationem τὴ ποιεῖν, fingere, facere scilicet per æque ἀντινομίαν Poeticæ, sibi que propriam fecit. Reliquarum artium nulli, quæ vel factione, vel imitatione constant, nec earum artificibus hoc nomen tribuitur. *Sit ergo Poëtica ars hominum actiones effingens, easq; ad vitam instituendam carminibus explicans.* Imitatio seu fictio Poeticam ab iis artibus secernit, quæ imitatione nulla continentur; carmen ab his, quæ tametsi imitantur, & fingunt, vt dialogi, metrum tamen non adhibent. Idcirco si vel imitatio, vel carmen abfuerit, Poësis nulla erit Fabulosa fictio, est tanquam forma, & anima Poeseos, cum fingere magis, quam versificare Poetam reddant. Vidit hoc ipsum Germana natio, cui poema sonat ein gedicht/ Poeta ein dichter/ non autem, versmacher oder reimer. At vero vsus, quem penes arbitrium est, & ius & norma loquendi, Poetas nominare consuevit, qui tantum norunt metra funditare, quique ἀπαιμιεῖσθαι nihil valent. Hos docti versificatores vocant.

DE POETARVM ORDINIBVS.

CAPVT III.

Quatuor potissimum poetarum genera videtur voluisse in Oratore perfecto M. Tullius: Epicos siue Heroicos, Iambographos, Tragicos, Lyricos siue Melicos. In quorum Primo principem numerat Homerum, in Altero Archilochum, in Tertio Sophoclem, in Postremo Pindarum. In libello de opt. gen. Oratorum recensuit

fuit Tragicos, Comicos, Epicos, Melicos, Dithyrambicos. Quo loco pro ratione instituti sui in enumerando accuratior, & vt credibile est, Iambographos Comicorum nomine complexus est: propterea quod in Comœdia Iambi vsus est frequentissimus. Horatius ad Pisones adduxit in medium sex ordines. Heroicos, Elegiacos, Lyricos, Iambicos, Comicos, Tragicos: Dithyrambicos ideo prætermisit, quod ea ætate nemo factitaret id genus Poemata. Quæ diuisiones cum vel Materiam, vel genus carminis tantummodo confiderent, non satis Poetarum discrimina meriuntur. Et si enim carmen ita à Poeta suscipitur, vt omittere non liceat, ipsum tamen honorem, ac nomen Poëtæ, non magis cuiquam conciliat, quam corpus humanum cuiquam dat esse hominem, si animus consilii, & intelligentiæ compos defuerit. Quod si quis secum attentius perpendat, quid muneris Poeta verus exerceat, nempe hominum actiones imitando exprimere, quæ aut Honestæ sunt & bonæ, aut inhonestæ, & malæ, atq; ideo aut laude aut vituperatione afficiendæ: tria potissimum poetarum genera, Epicum, Comicum, Tragicum inueniet.

Q V A M A T E R I A
Poëta.

C A P V T I V.

Cicero l. de Orat. eandem propè hoc est, æquè amplam, vagam, longe lateque diffusam Poëtæ, quam oratori Materiam subiecit, his verbis; *Est enim finitimus oratori Poëta, numeris astrictior paulò, verborum autem licentia liberior: multis ornandi generibus socius, ac pene par: In hoc quidem certè propè idem, nullis vt terminis circumscribat, aut definiat ius suum, quo minus eliceat eadem illa facultate, & copia vagari quæ velit.* Iam porro notum est, quid & quantum in illa eruditissima disputa-

I N S T I T V T I O

tionem L. Crassus oratori, id est, eloquenti permisit, in quo regnare possit eius oratio, Thesis & Hypothesin, breuiter res omnes. Et sanè cum historiam Poetarum euoluimus, nihil prope modum, seu supra lunæ orbem, & æternum, seu infra, & fluxum, caducumque sit, astricto dicendi genere non comprehensum, & explicatum videmus. Quod cum ita sit, nihilominus de Materia Poetæ angustius, & ad definitionem huius *διωρίσεως*, ut Plutarchus vocat, atque ad officium Poetæ aliquanto accommodatius differendo, Materia eius præcipuè sunt, Actiones hominum. In his siquidem effingendis, & ad usum, atque commodum vitæ exprimendis eiusdem curæ, labor, industria se intendit.

Q V I S S I T P O E T Æ F I N I S .

C A P V T V .

Poetarum scopus est Docere, & delectare: per imitationem, & carmen, velut conditiones penitus necessarias.

Horatius:

*Aut prodesse volunt, aut delectare Poëta,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vita.*

Distincte & manifeste Tres fines adducit, quorum postremum ipse mox commendat, cæterisque anteponit.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Vt certum doctrinæ genus intelligeremus, verbum (prodesse) quàm (docere) maluit Horatius. Apertius autem in secundo cum dixit: & idonea dicere vitæ.

Q V I D D I S T E N T P O E M A & P o ë s i s .

C A P V T V I .

Poëma est opus ipsum Poëtæ, id nimirum quod efficitur

Etum est, finis & fructus operæ, atque studij, quod impendit Poëta. Poësis est fictio ipsa, ratioque, ac forma Poëmatum, siue industria, atque opera facientis: ut Poëma, Poësis, Poëta, hæc tria differant, quomodo tres personæ verbi à quibus oriuntur, πεποιμένα, πεποισεν, πεποίηται. A prima existit Poëma, ab altera Poësis, à tertia Poëta: quasi dicas factum, factio, factor: aut fictum, fictio, fictor. Poëma Ciceroni est metrica scriptio, tam parua, quam magna. Poësis interdum ipsum etiam habitum, seu artem, Poeticam videlicet ipsam declarat. At Poëma nunquam pro Poësi dictum inuenias.

TRES POEMATVM MODI,
eorumque Appellationes, &
Species.

CAPVT VII.

PLATO de optimo statu ciuitatis lib. 3. omnem orationem Poëtarum in Tres formas distribuit. Vnam appellat, ἀπλὴν διήγησιν, simplicem, & nudam narrationem: quando videlicet res simpliciter, ac nudè continuatione expositionis à Poëta solo commemorantur. Alteram ἀμιμήσεως ἠσαυδήσιν, per imitationem efformatam, quoties adhibentur personæ quædam, quæ rem quasi tum ageretur, repræsentant, tacente, ac nihil pronunciate Poëta. Postremam δὲ ἀμφοτέρων, quæ ex duabus superioribus conflata, & concreta est, quæ utroque modo permista, simplici ratione, inquam, & imitatione præstant Poëta quod volunt: seu in qua & Poëta ipse loquitur, & personis sermo assignatur.

permi-
Thesin
Et fanè
il pro-
num,
stricto
xplica-
inus de
em hu-
ad offi-
fferen-
homi-
um, at-
em cu-

S.

re: per-
nes pe-

, quo-
ateris

s, ver-
ratus,
donca

ed eff-
stura



8 I N S T I T V T I O
S I N G V L O R V M M O D O R V M G R A E -
cæ & Latina Appellationes, cum suis
Speciebus, & Poëtis.

C A P V T V I I I .

PRimum vocant διγηματικόν, ἐξηγηματι-
κόν, ἀπεδιγηματικόν, ἀναγγελικόν, lati-
ne enuntiatiuum, enarratiuum. Quod τρο-
φοεικόν etiam quidam nominarunt, id est,
pronuntiatiuum, Aristoteles vero ἀμετά-
βλητον, id est, immutabile. Ad hunc perti-
nent, Ecloga 4. Tres primi Georgicorū, &
prima pars quarti, Lucretius totus, & alii.
Species habet Tres ἀγγελικὴν qua senten-
tiæ morales scribuntur, & fecit Theog.
ἱστορικὴ, qua narrationes & genealogiæ, vt
est Hesiodi Theogonia διδασκαλικὴ, qua
Philosophia comprehenditur, vt libri
Varronis, Empedoclis, Parmenidis, Lucre-
tii. Item Astrologia, vt Φαινόμενα Arati, pars
Georgicōn Virgil. & similia. Secundum
nominant δραγματικόν, hoc est, actiuum, à
gestu nempe & actione: δράν enim Dorica
lingua valet agere. Etiā dicitur μιμητικόν,
latinè imitatiuus. Item διάλογητικὸς aptissi-
mè, nam vsu factum est, vt traheretur ad si-
gnificandum disputationes διάλογον. Huc
rediguntur Ecloga 1. 3. 5. & 9. Species eius
Quatuor apud Græcos, Tragica, Comica,
Satyrica, Mimica: apud Romanos, Prætex-
tata, Tabernaria, Attellana, Planipes. Re-
stat tertius, quem nuncupant μικτόν, mi-
stum. Huic dantur Ecloga 2. 6. 8. 10. Hic
conti-

continet Iliadem, Odifseam, totam Æneida: ad summam. Poesin Epicam: cuius tamen vim si acrius contemplere, non tam *μικτῶν*, quam *ἐξ ημμεγατικῆν* iudicabis. Et Lyricam, qua, si Horatium nostrum spectes (plures enim non habemus) æquē sub primum subijci potest. Atque huius Tertiæ formæ *παρὰ Τριγυγῶς* sit primus liber Æneidos Virgilij, in quo Poeta primum ex sua persona in hunc modum exorditur:

*Arma, virumq; cano, Troia qui primus ab oris
 Italiam fato profugus, Lavinaq; venit
 Littora: multum ille & terris iactatus, & alto,
 Vi superum, saeva memorem Iunonis ob iram:
 Multa quoq; & bello passus, dum conderet urbem,
 Inferretq; Deos Latio: genus unde Latinum,
 Albaniq; patres, atq; alta mœnia Romæ.*

*Musa mihi causas memora, quo numine laeso,
 Quidue dolens Regina Deum, tot voluere casus
 Insignem pietate virum, tot adire labores
 Impulerit tantane animis cœlestibus ira?*

*Urbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
 Carthago, Italiam contra, Tiberinaq; longè
 Ostia, dives opum, studijsq; asperrima belli,
 Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
 Posthabita coluisse Samo, heic illius arma,
 Heic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus esse,
 Si qua fata sinant, iam tum tenditq; fouetq;
 Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
 Audierat, Tyrias olim qua verteret arces.
 Hinc populum late Regem, belloq; superbum
 Venturum excidio Libya: sic voluere Parcas.
 Id metuens, veterisq; memor Saturnia belli,
 Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis,
 Nec dum etiam causæ irarum, sauiq; dolores
 Exciderant animo: manet alta mente repostum
 Iudicium Paridis, spretaque iniuria forma,*

Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.
 His accensa super, iactatos equore toto
 Troias, reliquias Danaum atque immitis Achilles
 Arcebat longè Latio: multosque per annos
 Errabant acti fatis maria omnia circum.
 Tanta molis erat Romanam condere gentem.
 Vix è conspectu Sicula telluris in altum
 Vela dabant lati, & spumas salis ære ruebant:
 Cum Iuno aeternum seruans sub pectore vulnus
 Hac secum.

Deinde iratæ Iunonis personam induit.

Méne incepto desistere victam?
 Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem?
 Quippe vetor fatis Pallasne, exurere classem
 Argiuum, atque ipsos potuit submergere Pontus,
 Unius ob noxam, & furias Aiakis Olei?
 Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
 Disiecitque rateis, euertitque aquora ventis.
 Illum exspirantem transfixo pectore flammam
 Turbine corripuit, scopuloq; infixit acuto.
 Ast ego, qua Diuum incedo Regina, Iouisq;
 Et soror, & coniux, una cum gente tot annos
 Bella gero, & quisquam numen Iunonis adoret
 Præterea? aut supplex aris imponat honorem?

Qua persona mox deposita, exponit, quid
 postea egerit: quomodo ad Æolum profecta sit,
 quale imperium Æolus in ventos habeat. Virgil.
 verba hæc sunt.

Talia flammato secum Dea corde volutans,
 Nymborum in patriam, loca fœta furentibus Austris
 Æoliam venit. heic vasto Rex Æolus antro
 Luctanteis ventos, tempestatq; sonoras
 Imperio premit, ac vinculis & carcere frenat.
 Illi indignantes magno cum murmure montis
 Circum claustra fremunt, celsa sedet Æolus arce,
 Sceptra tenens, mollitq; animos, & temperat iras.
 Ni faciat: maria, ac terras cælumq; profundum
 Quippè ferant rapidi secum, verrantq; per auras.
 Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,

Hæc

POETICA.

Hoc metuens, molemque & montes insuper altos
 Imposuit, Regemque dedit, qui fœdere certo
 Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.
 Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est.

Rursus fit Iuno.

Æole! namque tibi Divum pater, atque hominum Rex
 Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos)
 Gens inimica mihi Tyrrenum navigat æquor,
 Ilium in Italiam portans, victosque Penates,
 Incute vim ventis, submersaque obrue puppes,
 Aut age diuersas, & disice corpora Ponto.
 Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
 Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
 Connubio iungam stabili, propriamque dicabo:
 Omneis ut tecum meritis pro talibus annos
 Exigat, & pulcra faciat te prole parentem.

Fit etiam Æolus dum eum Iunoni reponden-
 tem imitatur.

Æolus hæc contra: tuus, ô Regina quid optes
 Explorare labor: mihi iussa capeffere fas est.
 Tu mihi quodcumque hæc regni, tu sceptrâ Iouemque
 Concilias, tu das epulis accumbere Divum,
 Nymphorumque facis, tempestatumque potentem, &c.

Idem secundo Æneidos pauca ex sua persona
 præfatus.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant,
 Inde toro Pater Æneas sic orsus ab alto.

Mox Æneam refert.

Infandum Regina iubet renouare dolorem:
 Troianas ut opes, & lamentabile regnum
 Eruerint Danaï: quæque ipse miserrima vidi,
 Et quorum pars magna fui, quis tanta fando
 Mirmidonum Dolopumue aut duri miles Ulissei
 Temperet à lacrymis? & iam nox humida cælo
 Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
 Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,
 Et breuiter Troia supremam audire laborem,
 Quanquam animus meminisse horret: luctuque re-
 fugit,

*Incipiam, fracti bello, fatigq; repulsi
 Ductores Danaum, tot iam labentibus annis,
 Instar montis equum diuina Palladis arte
 Edificant, sectaq; intexunt abiete costas:
 Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
 Huc delecta virum sortiti corpora furtim
 Includunt caeco lateri, penitusq; cauernas
 Ingentes uterumq; armato milite complent, &c.*

Hæc ratio vt nunc Poëta, nunc alii loquantur, tota Iliade, & Odissea, tota itidem Æneide custoditur. Ille Poeta maximè commendandus, qui quam minimum loquitur ex sua persona, perpetuoque imitatur: cum eius laus potissimum in imitatione consistat.

*DE EXERCITATIONE, ET MO-
 do scribendi.*

C A P V T IX.

Qui sine multa Exercitatione, sine diligentè optimorum poetarum Imitatione (vt alia non pauca præteream) se magnam laudem adepturum sperat, is non tam imprudens, quam impudens censi ritè potest. Laborandum non est, vt multos quotidie versus eructemus: paucos velim, & quam potest fieri optimos: Quod sine meditatione, cura, cunctatione, & mora non erit. Verum quid inde commodi nascatur, docet Quintil. lib. 10. c. 3. *Cito scribendo non fit, vt bene: bene scribendo fit, vt cito scribamus. Primum hoc constituendum est, vt quam optimè scribamus, celeritatem dabit consuetudo. Stylus est optimus, & dicendi, & poetandi effector, ac magister: stylus, inquam, non sine cura, & animaduersione, diligentia. Obtemperandum prorsus eiusdem Quintil. consilio, cuius hæc sunt verba: Sit primo vel tardus, dum diligens sit, stylus. Quæramus optima, nec primo se offerentibus gaudeamus. Adhibeatur iudicium inuentis, dispositio probatis: Delectus enim rerum*
 ver-

verborumq; habendus est, & pondera singulorum exam-
 inanda. Post subeat ratio collocandi, versenturq; om-
 ni modo numeri. Non ut quodq; se proferet verbum,
 occupet locum. Quæ quidem ut diligentius exequa-
 mur, repetenda sapius erunt scriptorum proxima: Nam
 præter id, quod sic melius iunguntur prioribus sequen-
 tia, calor quoq; ille cognitionis, qui scribendi mora re-
 frigit, recipit ex integro vires, & velut repetito spatio
 sumit impetum: quod in certamine salendi fieri vide-
 mus, ut conatum longius petant, & ad id quod conten-
 ditur spatium, cursu ferantur: utq; in iaculando bra-
 chia reducimus, & expulsuri tela nervos retrò tendi-
 mus. Eodem capite reprehendit quosdam qui
 primo occurrere per materiam stylo quam velo-
 cissimo volunt, & sequentes calorem, ac impetum
 ex tempore scribunt, hanc siluam vocant. Repe-
 runt deinde & componunt quæ effuderant: sed verba
 emendantur, & numeri: manet in rebus temerè conge-
 stis, quæ fuit, leuitas. Protinus ergo adhibere curam
 rectius erit, atq; ab initio sic opus ducere, ut calandum,
 non ex integro fabricandum sit. Hæc Fabius.

GENERA QUÆDAM EXERCI-
 tationis Poëtica.

C A P V T X.

PRimum sit illud, vnam eandemque rem diuer-
 sis verbis, eadem, aut diuersa specie carminis e-
 loqui: exemplo sit, Amnis glacie concretus, in
 Appendice Virgiliana diuersis modis eleganter
 descripta.

Qua ratis egit iter, iuncto boue plaustra trahuntur

Postquam tristis hiems frigore vinxit aquas.

Sustinet vnda rotam, patula modo per uia puppi:

Ut concreta gelu marmoris instar habet.

Quas modo plaustra premant undas, ratis ante secabat

Postquam brumali diriguere gelu.

Vnda rotam patitur, celerem nunc passa carinam:

In glaciem solidam versus ut amnis abit.

Qua solita est ferre unda rates, fit peruia plaustris:

Vt stetit in glaciem marmore versa nouo.

Semita sit plaustro, qua puppis adunca cucurrit:

Postquam frigoribus bruma coëgit aquas.

Orbita signat iter, modo qua cauus alueus exit:

Strinxit aquas tenues ut glacialis hiems.

Amnis iter plaustro dat, qui dedit ante carina.

Duruit ut ventis unda, fit apta rotis.

Plaustra boues ducunt, qua remis acta carina est,

Postquam dirigit crassus in amne liquor.

Unda capax rarium plaustris iter algida prabet:

Frigoribus sauis ut stetit amnis iners.

Plaustra viam carpunt, qua puppes ire solebant:

Frigidus ut Boreas obstupescit aquas.

2. Conducet tractari idem nunc concise & breuiter, nunc ample, & copiose: nunc propriis, nunc modificatis verbis: nunc simplici, nunc versa, & luminibus insignita oratione.

3. Transfundamus solutam ac liberam orationem in carmen, oratoriasque locutiones Poëticis commutare studeamus. Et cum Oratores restrictiores, nos liberiores simus, moreque Poëtico argumentum dilatemus, fucum addamus, flores intexamus.

4. Vertamus interdum aliquid breue tamen, de Græco in Latinum, aut de Latino in Græcum. Quæ exercitatio ad vtriusque linguæ proprietatem, splendorem, elegantiam, copiam, figurarumque varietatem percipiendam non mediocriter valet. Imitatione item optimorum, similia inueniendi facultas parabitur, & intelligentia præterea atque iudicium ex hoc acquiratur, Vt Plinius asseuerat.

5. Vnum genus carminis apud auctorem aliquem inuentum, numeris mutatis ad aliud redigamus. Hexametrum ad Elegiacum, Phaleucium & Sapphicum, & cætera eodem modo.

6. Quinimò eodem genere, quo Poëta ille vsus est eandem rem explicandam sumamus. Postremo,

mò,

mō, versus Poetæ boni ad alium sensum conuertemus: & tanquam surculos ex arbore vna in aliam inferemus, qui tamen in ea nati, non in eam insiti videri possint: idque dupliciter, vel ἀπὸ τῆς ἐπιποιήσεως nulla mutatione, quomodo fecerunt Proba Falconia ex Virgilio, & Eudocia Imperatrix ex Homero, quod genus Centones, à centonibus, quibus fiunt stragula, vocamus: vel παρὰ τῆς ἐπιποιήσεως in parte aliqua, quod genus Parodias nominant. Nec eius exempla desunt. Vide Scaligerum.

DE I M I T A T I O N E, ET QVO
pacto imitandum sit.

C A P V T X I.

DUplicem esse Imitationem constat. Vnam de qua in principio huius libelli actum est, vbi imitari, effingere quippiam significare diximus: Alteram qua impellimur cum diligenti ratione, vt alicuius boni, & præstantis Poetæ similes, secundum omnes eius virtutes, aut saltem insigniores, esse possimus. Vnus præcipuè deligendus, cui nos similes esse studeam⁹, cui si quid deest, nullo negotio ab aliis petere licebit. Qui Comœdiam facturus est, ad exemplum Plauti aut Terentij properabit: qui Heroicum, Virgilium imitabitur: Qui Elegiacum, Propertium sequetur. In Lyricis quid nobilius Horatio? In Tragœdia quem imitemur, exemplo suo docebit Seneca. Omnis autem labor eò impendendus, ne quæ dicimus illorum, sed nostra videantur, quamuis doctos viros vnde illa hauserimus non fallat. Apes imitari præcepit Seneca, quas videmus volitare per florea iura, & succos ad mellificandum idoneos quærere. Nos similiter, quæ ex diuersa, seu multa vnus lectione congeessimus, separare debemus: deinde
adhi-

adhibita ingenii cura, & facultate in vnum saporem varia illa libamenta confundere: vt etiam si apparuerit vnde sumptum sit, aliud tamen esse, quam vnde sumptum est, appareat. Quod in corpore nostro videmus sine vlla opera nostra facere naturam Alimenta quæ accepimus, quam diu in sua qualitate perdurant, & solida innatant, stomacho oneri sunt: At cum ex eo quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires, & sanguinem transeunt. Idem in his quibus aluntur ingenia præstemus: vt quæcunque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint, sed concoquamus illa.

DE ARGUMENTO VIRIBUS CON-
uenienter sumendo deq; carminis, &
Poeseos Genere deli-
gendo.

C A P V T XII.

PERbenè Horatius monuit, non esse grandius imponendum onus humeris, quam sustinere queunt, materiamque scriptioni deligi demum eam oportere, quæ exploratis, ac tentatis antea diligenter viribus conuenire sentiatur. Quod si nos viribus nostris metiemur, & par onus ingenio, doctrinæque nostræ subiecerimus (neque enim omnia possumus omnes) promittit, nec verba nobis, nec dispositionem atque ordinem (sine quo nihil lucidum, omnia perturbata, & obscura fiunt) defuturum.

*Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri: cur lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.*

Alioqui propter imbecillitatem ingenii, & orationis paupertatem in medio conatu subsistere, inceptumque cursum interrumpere compellimur. Ouid. 2. Trist. postquam semet accusauit,
quod

quod non relictis nugis amatoris res bello gestas,
res populi Romani, atque adeo Aug. Cæsaris ad
posteritatis memoriam versibus commendasset,
tandem ita se purgat.

Arguor immerito: tenuis mihi campus aratur.

Illud erat magna fertilitatis opus.

Non ideo debet pelago se credere, si qua

Audet in exiguo ludere cymba lacu.

Forsan in hoc, dubitem, numeris leuioribus aptus

Sim satis, in paruos sufficiamq; modos:

At si me iubeas domitos Iouis igne gigantes

Dicere, conantem debilitabit onus.

Diuitis ingenij est, immania Cæsaris acta.

Condere, materia ne superetur opus.

*Et post multa in eodem libro ad Augustum
scripto.*

Bella sonant alij telis instructa cruentis,

Parsq; tui generis, pars tua facta canit.

Inuida me spatio natura coercuit arcto,

Ingenio vires exiguasq; dedit.

Et lib. 2. de Ponto. eleg. 5.

Dum tamen in rebus tentamus carmina paruis,

Materia gracili sufficit ingenium.

Consultum proinde est, non subito Iliadas, &
Gigantomachias captare, argumenta, inquam,
operosa, longa, difficilia: id enim quid aliud
fuerit, quam cereis pennis volitare? Res ludi-
cras principio canamus, ipse quoque Culicem
nostrum, aut Araneolum, aut Formicam, aut
Barrachomyomachiam, aut Apologos Æsopi-
cos habeamus. Iocemur Epigrammatis. Qua-
dam pusilla, & contractiora poemata, sed ventu-
sta, & ingeniosa extundamus, donec humeri
vitulo ferendo assueti, bouem gestare possint:
Hæc sunt Poematum tyrocinia, hæc primæ ve-
litationes & progymnasmata. Quod de Mate-
ria, siue Argumentis dictum est, hoc idem pror-
sus de Genere carminis, quod materiae congru-
ens, & accommodatum esse debet, intelligatur.

ne

ne optet ephippia bos piger: optet arare caballus.
 Cernimus alios ad Comoediam, alios ad Tragediam faciendam natos. Hic in Lyrico, iste in Elegia, ille in Epigrammate non perdit operam. Capiat adolescens aptum sibi & idoneum naturæ suæ poematis, & carminis genus. in quo præcipue excolendo multum temporis, atque studii consumat.

CONQUIRENDÆ RERUM AC VERBORUM suppellex: Tranquillitate, & Secessu opus.

CAPVT XIII.

PRIUSquam ad conficiendum poema, longius accingamur, multa & magna Rerum atque Verborum (quibus duobus omnis constat absoluiturque oratio) supellex comportanda, & vndique conquirenda est. Ex arca plena sumptum facere periucundum est: datum contra impendere, quæ nondum possederis, & magnæ temeritatis, nondum cæsa, & conuecta materia aggredi ad ædificandum. Commendantur, qui cum nunquam non studiosè attenteque, tum sub illud tempus longè studiosius, attentiusq; veteres Poetas legunt, quo sunt carmina scripturi: ibiq; instar apum per amœnissimos campos & floriferos saltus diuagantes, tanquam è flosculis decerpunt, vnde mel conficiant. Ex quo consequitur, vt iam effectum poema eruditis hominibus, quiq; tritas habent aures notandis generibus Poetarum, lectu sit quam gratissimum: propterea nimirum, quòd plures locos insignes ex optimis Poetarum ingeniosè imitados deprehendunt. Alia Duo quoq; carminibus multo rectius, faciliusq; componendis non mediocre præstabit auxilium. Vnum est, Mens pacata, mens alia quauis solitudine vacans, angore, & perturbatione omni soluta prorsus, atque libera, Animus distractus,
 nulla.

Nulla in re munus suum fungi probè, ac decenter
 potest: ne dum vt pariendis versibus ornatissimis
 idoneus videatur: quos si quis cura, attentione
 iudicio indigere non putat, ipse iudicio indiget.
 Ouidius hoc ipsum non semel indicauit, docu-
 itque hanc ipsam esse causam, cur tam difficulter
 versus scriberet: quia scilicet pænè quotidiano ti-
 more periculorum, ac trepidatione iactaretur,

----- *Carmina latum*

*Sunt opus, & pacem mentis habere volunt,
 Carmina proueniunt animo deducta sereno,
 Nubila sunt subitis tempora nostra malis.*

Idem, quomodo in tempestatum procella,
 animi statu perturbatissimo versus facere po-
 tuerit, miratur, & ait.

*Quod facerem versus inter fora murmura ponti,
 Cycladis Aegaeas obstupuisse puro.*

*Ipsa ego nunc miror tantis animique marisque
 Fluctibus ingenium non cecidisse meura.*

Alterum est Secessus Demosthenem Fabius
 commendat, qui se in locum ex quo nulla exaudiri
 vox, nihilque prospici posset, recondebat, ne
 aliud agere mentem cogere oculi. Ideoque lucu-
 brantes, inquit, silentium noctis, & clausum
 cubiculum, & lumen vnum velut tectos maxi-
 me teneant. Nox quoque versibus faciendis, vt
 orationibus, opportuna est, quam Graeci non
 sine causa *Ἐπιπένη* appellarunt, & consultatio-
 nibus accommodatam boni scriptores asserunt.
 Latebrae etiam, & loca plane sola iuuant: quod
 item voluit Ouidius, vt illud superius, animum
 scilicet curis non impeditum.

Carmina secessum scribentis, & otia quarunt.

Sed illi loci, in quibus est sensibus blandiens
 amoenitas, siluae, horti, nemora, ruscula, vbi
 frondescunt arbores, pubescunt vites, segetes
 largiuntur fruges, vbi obliquo laborat lymphæ
 fugax trepidare riuo, tales, inquam, loci poe-
 tis

tis aptiores & proprii videntur. Atque Horatius tales recessus imprimis adamavit, eosque Poetis frequentandos suavit.

*--- me gelidum nemus,
Nympharumq; leues cum Satyris chori
Secernunt populo.*

Et epist. 2. lib. 2.

*Præter cætera Romæ mène poemata censes
Scribere posse inter tot curas, totque labores?*

Et paulò post.

*Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem.
Ovidius proinde ad finem elegiæ, vnde superiores versus allati, veniam à lectoribus petit his verbis.*

*Quo magis his debes ignoscere, candide lector,
Si spe sunt, ut sunt, inferiora tua.*

*Non hæc in nostris, ut quondam, scripsimus hortu,
Nec consuete, meum, lectule, corpus habes.
Iactor in indomito brumali luce profundo,
Ipsaque caruleis carta feritur aquis.*

DE IUDICIO.

CAP. XIV.

IN poeticis nulla res tanti est momenti, quanti Iudicium, nec est aliud quidquam, cuius maior fit vel commendatio, vel admiratio. Difficultas autem propè maxima, cum id arte præceptisque tradi vix possit: quia potius naturæ munus quoddam est, atq; illustre beneficium. Nullus locus equè lubricus, nihil in quo & frequentius, & grauius, & à pluribus offendatur. Multi in omnem partem lapsus, quos vitare non poterit, qui non animaduertit: non autem animaduertit, quem iudicii acrimonia subtilitasque destituerit. Nihil aptius dici potest, opinor, quam Iudicium esse oculum ingenii, sine quo etiam videntes nihil vident, & quodammodo in tenebris saltant. Sæpe autem euenit, ut dum vnã vitare culpam

conten-

contendimus, & dum re ipsa vitamus, in aliam
quandam stultitia nostra & imprudentia incida-
mus. Scitè Horatius:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

*Ut in vita, inquit M. Tullius, sic in oratione nihil
est difficilius, quam quid deceat videre: πρέπον*
appellant Græci, nos decorum, de quo & præclare mul-
ta præcipiuntur, & est res cognitione dignissima. Hu-
ius ignoratione non modo in vita, sed sæpissime in poë-
matis, & in oratione peccatur. Hinc Flaccus.

*Maxima pars vatum, pater. & iuvenes patre digni,
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro,
Obscurus fio: sectantem lenia nerui*

*Deficiunt, animique; Professus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium timidusque procella,
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.*

Quibus ille verbis vniuersè docet, quam li-
mato, & acri iudicio præditum esse Poëtam oportet,
vt vitiosa à rectis distinguere, & illa reiicere
ista sequi in scribendo queat. Ponit autem
Quinque vitiorum exempla Horatius. Fideliter
monuit idem, vt ne nimium nostro Iudicio tri-
buamus: sed alios quoq; poematum nostrorum
iudices, & arbitros adhibeamus: nam duo oculi
plus vident, quàm vnus.

*Tu nihil inuita dices faciesque Minerva,
Id tibi iudicium est: ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Meci descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras.*

Iam quod aliis faciendū suavit, id ipsemet fecit;
nam ad Tibullum scribens epistola quarta, libro
primo sic orditur:

Albinostrorum sermonum candide iudex.

A doctioribus, & prudentioribus nos emendare
non recusabimus, & quod vel ingenio, vel iudi-
cio nostro deest, id ab aliis mutuari non erubescemus.

DE

D E D I L I G E N T I A E M E N D A T I O -
nis & recognitionis.

C A P V T X V.

IN crebra & solerti Emendatione permultum
est situm, cuius negligentiam in Poëtis Roma-
nis reprehendit Horatius.

*Nec virtute foret, clarisue potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum
Quemq; poëtarum lima labor & mora.*

Mox in persona Pisonum ad eam nos hortatur.

----- Vos ô

*Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.*

Et Sat. 10. lib. 1.

*Sape stylum vertas, iterum quæ digna legi sunt
Scripturus.*

1. Virgilius certe ex industria Emendandi
summam sibi laudem comparavit, qui teste Do-
nato, cum Georgicôn libros componeret, quo-
tidie mane plurimos versus meditatus dictabat,
eosque per totum diem retractando ad paucissi-
mos redigebat: non absurde carmen se vrsæ mo-
re dicens parere, & lambendo demum effinge-
re. Constituit præterea in Græciam, & Asiam
proficisci, totoque triennio Æneidem limare
ac perpolire: sed mors bonum consilium distur-
bavit. Quocirca testamento iussit eam comburi:
maluit siquidem prorsus non extare apud poste-
ros, quam inemendatam extare. Testis huius
Carmen Octavii Augusti, quod ob elegantiam
ascribere licuit.

*Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in igneis,
Magnaq; doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum! Solvetur littera diues?
Et poterunt spectare oculi? nec parcat honori
Flumina suo? dignumq; operis servare decorem?
Noster Apollo veta: Musa prohibete Latina.*

Liber

Liber, & alma Ceres succurrite. Vester in armis
 Miles erat, vester docilis per rura Colonus.
 Nam docuit, quid ver ageret, quid cogeret aestas.
 Quid daret autumnus, quid bruma nouissima ferres.
 Arua reformauit: sociavit vitibus ulmos
 Curauit pecudes: apibus sua castra dicauit.
 Hac dedit, ut pereant? ipsum si dicere fas est.
 Sed legum seruanda fides: suprema voluntas
 Quod mandat, fieri iubet, parere necesse est.
 Frangatur potius. Legum veneranda potestas,
 Quam tot congestos noctesq; diesq; labores
 Hauserit vna dies, supremaq; iussa parentis
 Amittant vigilasse suum, si forte furenti
 Errauit in morte dolor: si lingua locuta est
 Nescio quid titubante animo, non sponte, sed altis
 Expugnata malis: odio languoris iniqui,
 Si mens caeca fuit: iterum sentire ruinas
 Troja suas, iterum cogetur reddere voces?
 Ardebit misera post vulnere vulnus. Elisa?
 Hoc opus eternum ruet? & tot bella, tot enses
 In cineres dabit hora nocens, & perfidus error?
 Huc huc Pierides nemorum per lustra loquaces
 Tendite & ardentes ignes fluuijalibus undis
 Mergite: ne pereat tam clari Musa Poeta,
 Flammaque vanescat. Viuat Maro clarus in orbe,
 Ingratusque sibi. Sed quod male iusserat ipse,
 Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vita.
 Sicque erit aeternum tota resonante Camæna
 Carmen & imperij diui sub nomine viuat,
 Laudetur, placeat, vigeat, relegatur.

Optimum Emendandi genus asserit esse Fabius, si scripta in aliquot tempus reponantur, ut ad ea post interuallum, velut noua atq; aliena redeamus: ne aliòquin nobis tanquam recens editi foetus blandiantur. Vnde Horatius.

---- nonumq; prematur in annum,
 Membranis intus positis delere licebit.
 Quod non edideris, nescit vox missa reuerti.

Vbi ad exemplum Cinnæ videtur respexisse,
 qui

qui poema quod Smyrnam inscripserat, totis no-
uem annis perpoliuerat, de quo Catullus.

*Smyrna mei Cinnae nonam post denique messem
Quam coepta est, nonamque edita post hiemem.*

Hæc eo dicuntur, ut sciamus non esse fe-
stinandum.

DE EPOPOEIA.

QUID POTISSIMUM VELIT HOC

nomen: item de versu Hexamero, & Heroico:

& quid sit Epopœia.

C A P V T XVI.

Eπὸ valet verbum, seu locutio, ποιεῖν facere
seu fingere, & ἐποποιία quæcunque siue so-
luta, siue ligata oratione expressa fictio. Ita erunt
Epici, tum qui dialogos componunt, tum Poetæ
quilibet. Sed cum Epos propriè magisque poeti-
cam locutionem, propter eius nobilitatem (ver-
sum scilicet) quam aliam significet (ut ποιεῖν
quoque καὶ ἐξοχήν, vatibus tribuitur (rursus ob
grauitatem, stabilitatem, amplitudinem, excel-
lentiam, ad Hexametrum carmen transfertur, di-
citurque; hæc Poesis ἐποποιία, & huius composito-
res Epici. A maiestate item, siue ut est apud De-
metrium, ἀπὸ μεγέθους, καὶ πρέπει τοῖς ἥρωσι,
ob magnitudinem, & quia heroum personis con-
ueniat (quia nimirum eo actiones heroum com-
modissimè, & optimè imitamur) Heroicum ap-
pellatur. Hexametrum quidem semper appellare
licebit, Heroicum non semper: nempe si eo viro-
rum fortium, & inclytorum facinora non memo-
rabuntur. *Epopœia est poësis, carmine hexametro il-
lustres illustrium actiones per narrationem imitans.*
Oportet ipsam imitari actionem: alioqui poësis
minime vocabitur. Quod autem insignes, & me-
morabiles actiones imitatur, hoc ipso à Comœ-
dia

dia distat, in qua sunt, exprimunturque actiones humiles personarum ciuilium. Narratio eam à Comœdia & Tragœdia separat: siquidem utrobique aguntur res (quamobrem etiam dramata vocantur) non autem exponuntur. Carmine hexametro à reliquis generibus Poeseos distinguitur: Dramaticis enim fabulis Iambus, quem Horatius alternis sermonibus aptum esse dicit, aptior visus est, quam Hexametrum.

O B S E R V A N D A I N E P O P O E I A.

C A P V T X V I I.

S Vmet Epicus argumentum ab Historicis: qui si variauerint, sequetur quem voluerit. Veruntamen à fama, & memoria publica non discedet in quo Virgilius, qui Didonem feminam castissimam, ut ex Iustino, & aliis liquet, amore Æneæ hospitis furentem finxit, quæ aliquot ante seculis nata fuit quam ille Italiam peteret, in reprehensionem incurrit. Caterum quamuis historiam mutuetur Epicus, multa nihilominus suo iure fingit, variisque rationibus historiæ faciem in poëmatis speciem vultumque commutat. Quin etiam allegoria res inuertit: & cum ab Historico res indiuiduas sumpserit, ad vniuersale, ut in scholis loquuntur, transit. Ilias Homeri magnanimi ac bellicosi, Odyssea prudentis, ciuilis ac togati hominis imago est. Æneis optimi & religiosissimi principis. Iam hoc quoque necessario monendum est, ut Fabula, id est, actionum conformatio & dispositio, vna sit siue simplex, non multiformis. Licet. n. in Epopœia plures actiones insint, tamen ex omnibus velut è pluribus membris vnum corpus, vna fabula componatur, necesse est: ne forte monstrum Horatianum, nascatur. Præterea dilatanda, & amplificanda est Epopœia pluribus digressionibus, quarum varietas leporem, ornatum, venustatemque magnam generat

B

DE

D E T R I N C I P I O E P O P O E I Æ.

C A P V T X V I I I.

Quamquam Heroicum poëma ornatissimum ac politissimum esse debeat, quod tamen ad ingressum, & principium eius attinet, rectè vult Horatius, illud non esse par ac simile reliquo contextui: sed aliquando siccius, demissius, simplicius: à quo omnis ingenii, & doctrinæ ostentatio, omnis granditas, nimius & exquisitus absit ornatus.

Tres partes numerantur Epopœiæ, seu poë-
matis Heroici, Præpositio, Inuocatio, Narratio.

D E P R O P O S I T I O N E.

C A P V T X I X.

Poëtæ studio habent auditores, lectoresve suos Dociles reddere, & Attentos: quod consequimur, ut præcipiunt Rhetores, si summam causæ breuiter exponamus & si proponamus quibusnam de rebus dicturi simus. Quamuis autem Orator aliquando docilem facere auditorem non laboret, cum res aut nota iam aut humilis, aut parua est, tamen qui magna nondum cognita explicaturus est, ut Poëta nunquam non proponet. Quoniam verò ipsa Fabula, simplex & vna, quantumvis ex pluribus actionibus coherentibus composita, esse debet: propositio res plures, ac diuersas recipere non poterit Homerus, & Virgilius cum proponunt, longiore quadam circuitione videntur: nec ille Vlysses, nec hic Æneam nominat. Sic autem de illis loquuntur, ut facili negotio eos ipsos esse intelligatur. Quæ res cum magno opere delectet, non mediocrem quoque attentionem conciliat. Fugienda in huiusmodi circuitione omnis obscuritas: ne ibi tenebras ingeramus, ubi lucem præbere debuimus. Admonent nonnulli, Propositionem ut simplicem, ita breuem esse oportere. Non enim auditor ibi detinendus

mendus est verbis: qui, ubi rerum exitum & scopum didicit, ad Narrationem festinat. Neque tamen ea verba decidenda sunt, quæ si subtrahantur, rem obscurauerint.

DE INVOCATIONE.

CAPVT XX.

RE iam proposita, diuinam opem implorare vates consueuerunt. Græci Inuocationem propositioni coniungunt: Latini pleriq; omnes seorsim, vtrumq; faciunt. Quo tempore Imperatores quasi diuisum cum Ioue tenebant imperium, vt ait in epigrammate Virgilius, Poetæ ipsos vt numina inuocabant: vt item illustres aliquando viros. Quomodo porro Oratori datur potestas in ipso orationis cursu, quoties locus requirit, de nouo captare beneuolentiam, & attentionem renouare: ita fas, & ius est Poetæ, vel ob aliquam rei difficultatem exortam, vel ob grauitatem & magnitudinem, vel nouitatem, inuocationem iterare. Virgil. lib. 6. loca nulli visa, & inaudita apud inferos, descripturus, inuocationem hanc præmittit.

Dij quibus imperium est animarum, umbræque silentes,

Et chaos, & Phlegethon, loca nocte silentia latè,

Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro

Pandereres alta terra, & caligine mersas.

Iterum in 7.

Tu Vatem, tu Diua mone, dicam horrida bella.

In eodem, & in 10.

Pandite nunc Heliconæ Deæ, cantusq; mouete.

Non solum minus operum suorum Musas inuocant, inquit Fabius, sed prouecti quoque longius cum ad aliquem grauiorem venerint locum, repetunt vota, & velut noua precatatione vtuntur. Nobis autem Christianis (præsertim

B 2

cum



cum argumenta pia , sacra , diuina suscipimus)
pulcrum est à Deo Opt. Max. ab eius filio I E S V
Christo , à sacrosancto Spiritu , à Matre Domini ,
à reliquis immortalibus auxilium poscere: quo-
rum omnium fauor si nostra studia comitabitur ,
nihil verendum erit , ne illa parum feliciter pro-
cedant.

DE NARRATIONE.

*QVÆ SIT NARRATIONIS COL-
locatio, unde videlicet exordienda sit
Epico narratio.*

C A P V T XXI.

PROPOSITIONEM Inuocatio , Inuocationem ex-
cipit Narratio. Sed ante hanc aliquando Histo-
ricorum more causas quasdam , quamuis altè , &
à prima origine enumeramus , quæ simul ad ip-
sam expositionem quasi viam muniant , eamq;
illustrent. Sic Virg. cur tantis in Æneam odiis
baccharetur Iuno , causas prius quinque recen-
suit , quam ad narrationem aggrediretur. Virgilii &
Homeri exemplo vel à postremis vel à mediis du-
cendum Narrationis principium , secus quam
Historici solent , qui à primis initiis , & causis
narrationem ordiuntur , & rerum tantummodo or-
dinem , & seriem temporum intuentur. Virgilius
enim noster , opus non quidem ab euersione vr-
bis Troiæ , verum à navigatione è Sicilia Italiam
versus inchoauit. Turbulentissima autem tempe-
state iactatus , & ad Africæ littora tandem appul-
sus Æneas , ibique à Didone Carthaginensium re-
gina hospitio perhumaniter , ac perbenignè ex-
ceptus , ipsam Troiæ vastationem , itinera omnia
à Troiæ littoribus in Siciliam vsque terra marique
confecta duobus libris , Secundo inquam & Ter-
tio commemorat. Quamobrem , si ad rerum ge-
starum ordinem , tempusque respicimus , liber
Secun-

Secundus erit Primus, Tertius Secundus, Primus Tertius: quia prius utique capi, & solo æquari Troia oportuit, quam Æneas diuersa exilia, & desertas terras quæreret. Homerus in Odyssæa post deletum funditus Ilium, Vlyssæum in Insula Ogygia, apud Calypsonem Atlantis filiam constituit. Deinde per grauissima pericula, ad Alcinoûm Phæacum regem in Corcyram Insulam deducit. Ibi (sicut Æneas Carthagine apud Didonem inter epulas) suos errores, pugnas, & casus antegressos lib. 9. reliquis tribus vsque ad 13. exponit. Hanc ordiendi rationem illis verbis. præcepisse Horatium eruditi contendunt.

Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,

Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici

Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

Volunt (iam nunc debentia dici) esse media, vel postrema: (pleraque) esse antecedentia, quæ omitti debent præsens in tempus, hoc est, in ipso ingressu Narrationis, vel in aliud tempus, quod commodius illis narrandis videbitur. Ouidius contra Historicos imitatus: Metamorphoseon libros à primis causis exorditur in hunc modum.

In noua fert animus mutatas dicere formas

Corpora, Dijs cæptis (nam vos mutastis & illas)

Adspirate meis, primaque ab origine mundi

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cælum,

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,

Quem dixere chaos, rudis, indigestaque moles,

Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem

Non bene iunctarum discordia semina rerum.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan:

Nec noua crescendo reparabat cornua Phæbe:

Nec circumfuso pendebat in aëre tellus

Ponderibus librata suis: nec brachia longo

Margine terrarum porrexerat Amphitritite.

Quaque erat & tellus, illic & pontus, & aër:

Sic erat instabilis tellus, innabilis vnda.

*Lucis egens aër : nulli sua forma manebat;
 Obstabatque alijs aliud : quia corpore in uno
 Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
 Mollia cum duris. sine pondere habentia pondus
 Hanc deus, & melior litem natura diremit.
 Nam calo terras, & terris abscidit undas,
 Et liquidum spisso secrevit ab aère Cælum.
 Quæ postquam euoluit, cæcoque exemit acervo,
 Dissociata locis concordia pace ligauit.
 Ignea connexi vis, & sine pondere cali
 Emicuit summaq; locum sibi legit in arce.
 Proximus est aer illi leuitate, locoque
 Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
 Et pressa est gravitate sui: circumsternit humor
 Ultima possedit, solitumque coercuit orbem.*

*LEGES ALIQUOT PRO HEXA-
 metri elegantia.*

C A P V T X X I I .

Elegantissimi censentur Hexametri, qui nu-
 meris, siue pedibus ipsarum rerum, sectionum-
 que celeritati, tarditati, difficultati, grauitati, am-
 plitudini argumentorum, ac personarum respon-
 dent, & rem ipsam oculis quodammodo aspe-
 ctandam subiiciunt. Tales, exempli causa, sunt hi
 celeres quidem Æneidos 5.

*Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
 Haud mora, prosiliere suis, ferit æthera clamor
 Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.*

Tibullus.

*Quisquis amore tenetur eat. tutusque sacerque,
 Idem.*

Namque agor ut per plana citus sola verberare turbo.

Virg. 3. Georgicorum, pedes adhibuit tardos
 & σπονδαίοντες, loquens de Cyclopibus fulmi-
 na Iouis fabricantibus: præterea 1. & 12. Æneid.
*Illi inter sese multa vi brachia iactant.
 Luctantes ventos, tempestatesque sonoras.*

Olli

Olli sedato respondit corde Latinus.

In his versibus regnat Spondeus, & vnicus Dactylus adhibetur, qui pratermitti non potuit.

DE VERSV SPONDAICO.

2. Spondaicum vocant, in quo loco Quinto, quæ Dactyli propria sedes est, collocatur Spondeus: quod variis de causis fieri consuevit: Propter emphasim, propter auctoritatem, dignitatem, maiestatem, item propter affectus magnitudinem exprimendam: nec non ad rem inopinatam, & magnam significandam: quæ ex appositis exemplis facile cognosci poterunt, l. 2. 3. Æneid. Ecloga quarta.

Tun' ille Æneas quem Dardanio Anchisa?

Constitit, atq; oculis Phrygia agmina circumspexit.

Cum socijs natoq; penatibus, & magnis Dijs.

Cara Deum soboles, magnum Iouis incrementum.

Catullus de nupt.

Æquorea monstrum Nereides admirantes.

Propertius.

Sunt apud infernos tot milia formosarum.

Inculcant illud Præceptores carminum, vt si Quinta regione Spondaum collocare, ob antedictas causas velimus, Quarto loco ponatur Dactylus, alioqui versum insuauiozem futurum, quales sunt isti. 7. Æneid. 3. Georg.

Aut leues ocreas lento ducunt argento.

Saxa per & scopulos, & depressas conualles.

3. Non aspernandum præterea, immò insigne Hexametri carminis ornamentum creditur, quoties sententia suspenditur, nec nisi post quartum, quintum, sextum, septimum, octauum quandoque versum completur. Exempla sub manu sunt, l. Æneid.

Ille ego qui quondam gracili modulatus auena

Carmen, & egressus siluis, vicina coegi,

Vt quamuis auido, parerent arua colono:

Gratum opus agricolis: At nunc horrentia Martis

B. 4

Arma,

i nu-
num-
am-
pon-
aspe-
ant hi

bo.
ardos
ulmi-
id.

Olli

*Arma, virumq; cano, Troia qui primus ab oris
 Italiam fato profugus, Lauinaq; venit
 Littora: multum ille & terris iactatus & alto,
 Vi superum, seu a memorem Iunonis ob iram:
 Multa quoq; & bello passus, dum conderet urbem,
 Inferretq; Deos Latio: genus unde Latinum,
 Albanig; patres, atq; alta mœnia Roma.*

Item 3. *Æneid.* habes Septem versus, quasi quandam catenam efficientes, cum vnus ab altero, sequens ab antecedente, & ille ab hoc pendeat: ob quam causam, præter alias, hoc carminis genus *ἑὸς* & appellatum putatur.

*Postquam res Asia, Priamiq; euertere gentem
 Immeritam visum superis, ceciditq; superbum
 Ilium, & omnis homo fumat Neptunia Troia:
 Diuersa exilia, & diuersas querere terras
 Augurijs agimur Diuum: classemq; sub ipsa
 Antandro, & Phrygia molimur montibus Ida,
 Incerti quo fata ferant, vbi sistere detur.*

4. Non caret res venustate, cum vnico versus sententia rota perficitur. 1. 2. 3. *Æneid.*

*Durate, & vosmet rebus seruate secundis.
 Hæu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.
 Tantum cui longinqua valet mutare vetustas.*

5. Illud etiam haud indecorum, quoties Dactyli, & Spondei alternatim ponuntur, 2. 4. *Æneid.*

*Obstupuit, retroq; pedem cum voce repressit.
 Multa viri virtus animo, multusq; recursat
 Gentis honos.*

6. Admonent insuper festiuum atque elegans videri carmen, quod initium capit à Spondeo, qui partem orationis non absoluat, seu qui non est integra vox, cui deinde adhæreant duo Dactyli. 1. 12. *Æneid.*

*Desertosq; videre locos, littusq; relictum.
 Defecisse videt, sua nunc promissa reposci.*

7. Item, si planè nullus pes complectatur integrum vocabulum, 1. 2. 3. *Æneid.*

Iusti-

*Iustitiaq; dedit gentes frenare superbas.
Infandum regina iubet renouare dolorem.
Infelix Priamus furtim mandarat alendum.*

Ouidius.

*Vulgus amicitias utilitate probat
Si qua venit sero magna ruina venit.*

Tibullus.

*Intonsi crines longa ceruice fluebant.
8. Afferunt non mediocrem delectationem et-
iam illa 10. 12. Æneid.*

---sequitur pulcerrimus Astur,

*Astur equo fidens.
Ad cælum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
Tu mihi quodcunq; hoc regni, tu sceptrâ, Iouemq;
Conciliâs, tu das epulis accumbere diuûm.*

Clauditur eleganter Dissyllaba, & Trisyllaba
dictione: durius & minus concinnè Tetrasyllaba,
Pentasyllaba; duabus dissyllabis, Monosyllaba;
nisi altera præcedat Monosyllaba, vel sit nomen
animantis, vel nomen alicuius rei magnæ.

VERSUS CVM RERVM NATVRA,
Numero, Verbis, & Sono congruere
oportere.

CAPVT XXIII.

Optimi versus iudicantur qui legitimos pedes
habent, & vocibus conduntur latinis, Vsi-
tis, ac propriis, quique rei subiectæ seu læta, seu
tristis, seu blanda, seu atrox, seu tarda, seu celeris,
seu grauis, seu leuis illa fuerit, temperamento Nu-
merorû, Verbis ipsis, atq; Sono penitus quadrât,
eamq; imitantur. De quo pulchrè Horatius in arte.

---Tristia mæstum

*Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciuâ, seuerum seria dictu.*

Numerus est hoc loco, suavis quædam versus
modulatio, ex apta pedum tum collocatione, tum
varietate proueniens: & hinc versus Numerosus

B 5

qui

uasi
alte-
nde-
ge-

erfu

Da-
Æ-

ans
qui
n est
li. I.

nte-

ssi-

qui longis breuibusque syllabis iucunde progreditur, & apte cadit: quo fit, vt aures blanda quadam voluptate capiat ac demulceat.

Quid illo versu Maronis numerosius, sonantius, verbis aptius 8. *Aeneid.*

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum

Et 1. *Georg.* pereleganter grandinis salientis crepitus exprimitur.

Tum multa in tectis crepitans salit horrida grando.

Numerus alius celerior, alius tardior, alius ex utroque mixtus, & conflatus est. Celeritas quidem ex ijs nascitur pedibus, quorum aut omnes, aut plures aut priores syllabæ breues sunt, vt ex Trochæis (sic enim cum Cicerone Tribrachim appello à cursu) ex Dactylis, ex Anapæstis, ex Iambis. Tarditas ex his, quorum aut omnes, aut plures, aut priores longæ: vt ex Molossis, Creticis, Choreis. Mixtum numerum procreant pedes vtriusque generis confusi. In Prima *Aeneid.* postquam Iuno *Aeolum* ventos, & tempestatem poposcit, depingitur illorum eruptio velocissima, signo ab Rege dato, idque numeris rapidissimis.

Hac ibi dicta, cauum conuersa cuspide montem

Impulit in laevis: ast venti velut agmine facto

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Incubuerè mari, totumque à sedibus imis

Una Eurusaque, Notusaque ruunt, creberque procellis

Africus.

Dehinc duobus Verbis fluctuum vastitas, ventorumque in eisdem concitandis, & conuoluendis quasi nixus, & molimen diuinitus exprimitur.

-- *Et vastos voluunt ad littora fluctus.*

In 2. aggrediuntur Troiani turrim caelo eductam demoliri. Perpendamus qua mirifica celeritate verborum celerem prolapsum Maro demonstrarit.

-- *Conuellimus altis*

Sedibus, impulimusque, ea lapsa repente ruinam

Cum sonitu trahit, & Danaum super agmina laetè

Incidit.

Quid

Quid incitatus? quid volubilius fieri poterat? Iratorum sermo est præceptus, & frequentius interruptus propter impetus vehementiam, quæ hoc ipso quod nimium urget, linguam remoratur. Sic igitur Dido ad suos Carthagenenses in 4. Æneid. iam altum tenente Ænea, quem ut apud se maneret nullis precibus misera mulier emolliere quiverat.

Ferte citi flammæ, date vela, impellite remos.

Similis trepidorum est oratio. Caius in 9. cum Rutulorum exercitum Turno ductore aduentantem tumulo prospicit.

Quis globus, ô ciues caligine voluitur atra?

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,

Hostis adest.

Sic cum nocte ruere pariter ille videtur 2.

Vertitur interea calum, & ruit Oceano nox.

Et ille vna cum Boue in 5.

Sternitur exanimis que tremens procumbit humi bos.

Remigantium nautarumque labores, tardioribus numeris amulatus est in 3.

Adnixi torquent spumas, & carula verrunt.

Et ibidem.

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

Ille versus de Polyphemo est sane horridus in 3.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Mezentium vide quomodo consistere faciat hoc carmine.

Hostem magnanimum opperiens, & mole sua stat.

Porro in 12. de Latino sene, qui furentem audacia, & iracundia Turnum iuuenem placare conatur.

Olli sedato respondet corde Latinus.

Sonus quoque non oscitanter est quarendus, & pro rerum occasione variandus, ut sit in magnis & grandibus grandis: in tenuibus exilis: in hilaribus lætus: in tristibus moestus: in atrocibus

bus asper: in quietis sedatus. Et quia sonus ex verbis gignitur, conquirenda verba, ac in promptu habenda sunt verba consonantiora, sciendumque non minus verborum delectum esse originem præstabilis, & festivi poematis, quam eloquentiæ. Verum ex Rhetorum præceptis verborum discrimina cognoscentur; satis esto monuisse. Egregiè sonantes versus legimus Georg. l. inter prognostica videlicet tempestatis.

*Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, & aridus altis
Montibus audiri fragor: aut resonantia longe.
Littora misceri & nemorum increbescere murmur.*

Est & hic locus insignis ex i. Æneid.
*Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt.*

Consonantes, l, r, vocales, a, o, u, sonum creant, ut in r.

*Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circum latrantibus undis
Mole tenet, scopuli ne quidquam & spumea circum
Saxa fremunt, lateriq; illisa refunditur alga.*

Imo initium Æneidos exemplum illustre suppeditat soni respondentis rebus: in quo verba ipsa, Horrentia Martis, Virum, horrido ipso sono atque bella indicant, rerumq; dicendarum & gravitatem, & magnitudinem, ut superiores, *Ille ego,* &c. lenitatem, & tenuitatem vitæ pastoritiæ. Nisus in 9. carissimum sibi Euryalum hostium corona cinctum, & in medio versantem turbine lethi, ut ait Catullus, aspiciens, inquit.

Me me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum.
Mollis est verliculus propter vocalem, e soni tenuioris. Deniq; ne longus sim potest in his trib. multum natura, vnumq; cum altero fere implicitum est, seseq; mutuo efficiunt: & cum vnū quaeritur, inveniuntur omnia. Teneamus igitur hoc, rerum diuersitati, versuum dissimilitudinem quasi alio alioq; vultu respondere oportere.

DE

D E C A U E N D I S Q U I B V S D A M

Vitijs.

C A P V T X X I V .

Vitiosum & ridiculum est cum in fine & exitu carminis iterantur eadem syllabæ, quæ prius dimidiatum versum absoluebant; Leoninos vocant. Exempla sunt obuia. Ouidio quidem nobili Poetæ Leonini per imprudentiam exciderunt. In orat. Vlyssis:

Si Troia fatis aliquid restare putatis.

Et in epistola Hermiones ad Orestem:

Vir precor uxori, Frater succurre sorori.

Et 3. Fast.

Quærebant flauos per nemus omne fauos.

Apud Horatium inuentus est, qui terminaretur verbo syllabarum sex Sat 3. lib. 2.

Quisquis luxuria, tristisve superstitione.

Deformitatem parit, cum ad finem continenter tres Dissyllabæ voces ponuntur: qua culpa non vacat Tibullus, eleg. 6. lib. 1.

Semper ut indicat, blandos offers mihi vultus.

Imo hic versus habet quatuor dissyllabas continenter. Viranda est item eiusdem litteræ vel syllabæ crebra iteratio. Notum Ennij carmen.

O Tite tute Tati tibitanta tyranne tulisti,

Et illud Ciceronis.

O fortunatam natam me Consule Romam.

Monosyllabæ dictiones multæ si vnum in locum cumulentur, deformant versum. vt;

Non ex his est, qui se sanos viuere curant.

Cauendum ne statim ab Elisione exordiamur, tum nihil temerè in fine Quinti pedis elidendum. Breuiter, à duris multisque Collisionibus & Elisionibus omninò abstinendum est,

nec plures duabus in eundem versum

recipiendæ sunt: nisi gratiam

afferre videan-

tur.

B 7

DE

Comædia est pœsis dramatica, quæ ob docendam vitæ consuetudinem, civiles, & priuatas actiones, non sine leporibus, & facetijs imitatur. Ab Epopœia & Tragœdia, quæ publicas res, & heroum acta complectuntur, Comœdiam separant actiones ciuiles & priuata. Præterea Epopœia non est dramatica: & tragœdia sales, atque iocos nescit, qui risus pariunt: cum illa ad terrorem potius incutiendum & commiserationem excitandam conferantur, quæ quidem dolorem & mœstitiã habent Comœdiam. Cicero scriptum reliquit, esse imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis. Quæ verba non tam ad Comœdiæ notionem euoluendam, quam ad eam commendandam pertinent. *Tragicocomædia est confusum quiddam ex Comœdia, & Tragœdia: quando nimirum contra legem Comicam illustriores, augustioresq; personæ admiscuntur. Hoc verum esse in Amphit. apud Plautum Mercurius significat, in qua Comœdiæ partes dantur Ioni.*

Faciam ut commista sit Tragicocomædia:

Nam me perpetuò facere ut sit Comœdia

Reges quo veniant, & dî, non par arbitror.

Quid igitur? quoniam hic seruus quoq; partes habet,

Faciam proinde, ut dixi, Tragicocomædiam.

Finis Tragicocomædiæ semper erit lætus.

COMOEDIÆ ETYMON, ORIGO,

Ætates, Genera.

Comædia dicitur ἡπὸ τῆς κωμῶν, hoc est, à vicis: vel ἡπὸ τῆς κωμῆς, hoc est, comessationum, & lasciuia Deo: hinc κωμῶνιδος, Comædus, &

& κωμωδοποιτῆς siue κωμωδοποιός, Poëta Comicus, Comoediarum scriptor, vel factor; fiunt enim à ποιῶ facio. A rusticanis ad urbanos hoc modo profluxit Comoedia. Cum Apollini Nominio, seu Pastoralis ob frugum prouentum facerent agrestes, primum quidem circum ipsam aram, tum circum vicos; pagosque chorum cum cantibus lætabundi ducebant, seseq; mutuis conuitijs, aliosq; similiter, à quibus essent læsi onerabant. Postmodum noctu ciuitates ingressi, plateas obambulantes, eodem modo ciues ditiores, ac potentiores accipiebant, à quibus aliquid iniqui pertulissent: nominatim eos exagitantes, eorumque mala facinora, & quas accepissent iniurias memorantes. Animaduersum est, hoc ad homines à maleficiis propter infamiae metum deterrendos proficere: inde potestas facta idem interdium impunè committendi, & compositis ad eam rem carminibus, si qui præstarent ingenio. Creuit paulatim negotium, nactique summam occasionem Poetæ, Comoedias scripturarunt, in quibus haud dissimulanter & nominatim improborum ciuium mores, vitamq; omni genere dictorum, conuulsiarumque quam liberrimè proscinderent. Sed Ætas Comoediæ haud vna fuit. Alia enim nominata est vetus, quam sub Susarione indigestam rudem, incōcinnam Cratinus partibus, & actibus distinxit, ac disposuit: Aristophanes eidem quasi manum extremam addidit. Hora. hunc, item Eupolin, & Cratinum veteris Comoediæ tanquam præcipuos auctores profert: simulq; solemne illius in carpendis hominum vitiis narrat, & eius deinde locum Satyræ tenuisse confirmat. Nec tantum reprehensione dignos, sed indignos, & insontes, vt Periclem, Socratem, Aristidem æquè vellicabant. Versus Horatiani sunt hi è Sat. 4. lib. 1.

*Eupolis, atq; Cratinus, Aristophanesq; Poëta,
Atq; alij, quorum Comoedia prisca virorum est:*

Si

*Si quis erat dignus describi quod malus, aut fur,
Quod mæchus foret, aut scarius: aut alióqui
Famosus, multa cum libertate notabant.*

Hæc maledicentia, in qua potissimum chorus regnabat, cohibita & compressa dicitur cum attritis populi opibus Resp. Atheniensis triginta tyrannorum iugo ceruices coacta est supponere. Lata enim lege integrum erat affectis per scenam iniuria, afficientes vocare in iudicium. Hac ratione Poetas in officio potentiorum metus continuit, sublatusque est chorus, cuius supra dicebamus fuisse munus, vt in quoscunque liberè reprehensionum velut spicula contorqueret. Horat.

*Successit vetus his Comœdia non sine multa
Laude, sed in vitium libertat excidit, & vim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusq;
Turpiter obtinuit sublato iure nocendi.*

Quamobrem Comœdia, in qua nullum aperte, & cum nomine fas erat lædere, quæq; in eorum quandam verecundiam, & modestiam adhibeat: nuncupata est media: sed non ante quam Noua inducta est appellatio. Ergo, Comœdia, quæ neutrius faciem ostenderet, veteri similior fuit, ius quoddam reprehendendi retinens, quando chori loco parabases, quibus scripta, & dicta Poetarum nullo maleficii crimine, aut poenæ suspicionem cauillabatur, nō omittebat, ciuiumq; peccata tectius coarguebat: donec ipsa quoque in suspicionem odiorum, & simultatum veniens, potestatem reprehensionis omnem amisit. Post id Alexandro Philippo imperante, argumentis ac personis plane confictis, & facetiis ad delectandum interpositis vitam communem ac mores imitari cœperunt. Prisca illa frequenter vera tractabat argumenta: hæc nunquam. Illa ansam opprobriandi & insectandi vndelibet arripiebat: hæc citra amarulentiam iucunda, rarò quosdam criminationum aculeos, nulla cum contumelia immiscebat, eratque populari, ac de medio sumpto sermoni

monū

moni similior, Iambicis & Trochaicis contenta
versibus: cum in antiqua pluribus carminum for-
mis vterentur. Menandrum aiunt nouæ Comœ-
diæ principem habitum.

DE PARTIBVS COMOEDIÆ

ἢ τὸ ποῖον seu Qualitatis.

CAPVT XXVII.

Sunt quædam, quibus ipsa Comœdia qualis
fit: alia quibus velut extenditur. Illas partes
Qualitatis: istas Quantitatis non sine exemplo
vocare possumus. Prioris generis sunt omnino
sex: Fabula, Mores, Sententia, Dictio, Appara-
tus, Melopopœia. Ac sine prioribus quatuor ne
scribi quidem potest Comœdia. Etenim prius ne-
cesse est rem excogitare, quam nuncupamus Fa-
bulam. Cum autem Fabula imitetur, conuenit e-
am vtique moratam esse, accurateque diuerso-
rum hominum mores exprimere. Additur porro
sententia, quoniam animi sensus, sententiamquæ
per verba ostendere oportet. Et quia sententia cõ-
stat verbis, additur Dictio. Fabula comœdiæ, id est,
imitatio, fictiove comica, vacat rebus admirabi-
lib. ac prodigiosis, quales frequentur in Epopœia
referuntur, & nonnunquam in Tragœdia osten-
duntur: neque etiam illustres, graues, lugubres,
terribiles, vno verbo Tragicas complectitur: ve-
rum ciuiles ac priuatas tantum. Mores ratione
personarum sese admodum dissimiliter habent:
siquidẽ qui laudantur in aliis, & iis maximè con-
ueniunt, in aliis, laudari non solent: & quia mi-
nime conueniunt, interdum vituperari etiam:
Sicuti cernimus in artibus fieri. Nam si Plebeius
perite canat tibiis, placet, laudem aufert: At hoc
ipsum artificium in Rege displicet, ac reprehenditur.
Mulierem decet bene nere, bene texere:
virum dedecet: non enim sunt hæc opera virilia.
Ita cum sit in seruo virtus, & prædicetur, non
fuzari: viro nobili aut alioqui honesto laudem
nullam

nullam parit. Itaq; alii mores cadunt in alios, & sua quemq; maxime commendant: vt diligenter videndum sit, quos mores cui affingamus. Quod vt possit Pœta audiendus est illi Horat.

*Ætatis cuiusq; notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.*

Mores pueritiæ.

*Reddere qui voces, iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temere, & mutatur in horas.*

Mores iuuentutis.

*Imberbis iuueni tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus prouisor, prodigus aris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.*

Mores virorum.

*Conuersis studijs, atq; animusq; virilis
Quærit opes & amicitias: inseruit honori:
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.*

Mores senum.

*Multa senem circumueniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide, gelideq; ministrat:
Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti.
Se puero, censor, castigatoremque minorum.*

Sententiæ laus & virtus est, animi sensum aptè exprimere. Quia vero comicus sermo summissus est, sententias quoq; non elatas, aut grandes postulat. Nullæ hic quæstionum discussiones, aut probationes exquisitiores. Dictio Comica nec ad Tragicam sublimitatem affurgit, nec ad humilitatem Mimicam descendit: sed temperamentum quoddam seruat. Facilis, aperta, suavis, pura, elegans, simplici, & mediocri cum ornatu. Apparatus complectitur Scenam, & Habitum personarum.

DE PARTIBVS COMOEDIÆ

ἢ τὸ πῶσον, seu quanti-
tatis.

CAPVT XXVIII.

Quinque partes Comœdiæ numerantur, quibus magnitudo absoluitur: Prologus, seu prologium, Protasis, Epitasis, Catastasis, Catastrophe. Prologus est oratio, quæ ante fabulam legitimam habetur ad spectatores. Eius quatuor sunt species. Nam vel Poeta commendatur: vel obrectatorum, maleuolorumque criminibus respondetur, aut etiam crimina regeruntur: vel argumentum fabulæ enarratur: vel hæc omnia simul præstantur. Protasis prima pars fabulæ, in qua summa rei proponitur & narratur: non tamen finis ostenditur. Nempe, ut ex inopinato exitu crescat fabulæ iucunditas.

Protasis actu Primo, interdum Secundo quoque comprehenditur. Epitasis definitur earum rerum, quæ continentur in Protasi incrementum. Seu altera pars legitima fabulæ, in qua turbæ aut excitantur, aut intenduntur. Catastasis est vigor, ac status fabulæ, in qua maior cernitur rerum perturbatio. Epitasis & Catastasis Secundo & tertio aliquando etiam quarto actu concluduntur. Quintum Catastasis rarò attingit. Catastrophe ultima pars qua fabula clauditur, in qua res in melius commutantur. Seu ubi fit negotij in tranquillitatem non expectatam conuersio. Hæc partem actus Quarti, nonnunquam totum Quartum Quintum semper occupat.

DE ACTIBVS, SCENIS, ET
Actoribus seu personis.

CAPVT XXIX.

Actus est pars fabulæ, continens diuersas actiones pro diuersitate partium. Non plures autem nec pauciores. Quinque actus, siue in Tragedia, siue

siue in Comœdia esse conuenit, quod Horatius etiam docuit.

*Neue minor Quinto, neu sit productior actus
Fabula, qua posci vult, & spectata reponi.*

Primus quidem materiam, seu argumentum fabulæ comprehendit: Alter res in Actum deducit: Tertius impedimenta, & turbationes affert: Quartus viam demonstrat, qua res implicitæ soluantur. Postremus res implicitas artificiose dissoluit. Actus in scenas diuiditur, quem perrarò totum vna scena absoluit: nisi aliquando in Tragoedia. *Est autem scena pars actus, in qua duæ pluresue personæ colloquuntur.*

Initium capit nonnunquam ab omnium ingressu in Scenam: nonnunquam ab vnius tantum, qui deinde alium inuenit de Scena superiore. Finitur abitu interdum omnium, aliquando vnius tantum: Vt si tres fuerint, duo reliqui scenam sequentem constituent. Est cum vnus solus ad futuram Scenam relinquatur. Scenarum numerum quidam censent maiorem Denario esse non oportere: nec Actores plus Quatuordecim: Nomen inuenit ex eo, quod alia atq; alia facies subinde appareret ex ædiculis, quæ olim cum ramis & frondibus conficerentur, ita sunt ab ymbribus & tabernaculis appellatæ Actores qui & Histrones, & Scenici, & Ludiones, & Ludii, & Comœdii, Græcis à simulanda per imitationem veritate dicuntur *ὑποκρίται*. Personæ in Comœdiis distinguuntur conditione, professione, officio, ætate, sexu. Protatica, siue prostatica. quæ primo actu introducitur, neque amplius vnquam comparet: qualis Sofia in Andria: quod quidem in Plauto nusquam factum cernas. Aliæ non prodeunt, verum intus loquuntur, aut clamant quippiam: Aliæ neutrum faciunt, vt est seruulus Storax in Adelphis. Nam ibi Mitio exiens, non exeuntem appellat, & ille tacet. Aliæ apparent in
Pro-

Proscenio, mutæ tamen, seu nihil loquentes, ut
sunt satellites in Milite, & Famuli in Andria.

D E T R A G O E D I A.

NOTATIO, ET DEFINITIO TRAGÆDIA: item qui fiat ut delectet.

C A P V T X X X.

TRAGÆDIAM nominatam *παρὰ τῆς τραγίας*,
ut sit quasi *τραγία ὠδή*, inter plures constat.
Causa nominis incertior. Potest enim videri da-
tam hanc ei appellationem inde, quod agricolæ
prisci (qui ortus est Tragœdiæ) cum Baccho pro
annuis frugibus sacrificarent, ardente iam victi-
ma, hirco scilicet (quæ huic Deo propria erat, quo-
niam vineas læderet) loco precum quippiam can-
tarent: & quo illo benevolentiore vterentur,
magisque propitio, res eiusdem gestas, ac trium-
phos, devictasque gentes, & debellatos reges, eo-
rumque calamitates, ac postmodum non suppe-
ditante materia, aliorum præterea regum infor-
tunia, ærumnasque concinerent, victorique in
huiusmodi cantilenis hircum in præmium da-
rent. Ex quo illud Horatii: Carmine qui Tragico
vilem certavit ob hircum. Item quod fortasse v-
ter hirci musto plenus donabatur. Nonnullis pla-
cet vocatam à principio non *τραγωδία* sed *τρα-
χιδία*, quasi *τραχιδία ὠδή*, ab asperitate can-
tus videlicet: insuavis enim cantus, cuius materia
res tristes, asperæ, atroces, ac miserabiles. Deinde
vsuloquentium, ut alia mille, corruptum hoc no-
men, & pro *τραχιδία*, *τραγωδία* cœptum dici,
& inde natam opinionem de hirco, qui huic ge-
neri fabulæ nomen attulerit. Definitur hoc mo-
do. *Tragœdia est Pœsis, virorum illustrium per a-
gentes personas exprimens calamitates, ut misericor-
dia, & terrore animos ab ijs perturbatione liberet, à
quibus huiusmodi facinora Tragica proficiuntur.*
Atque

Atq; hic quidem finis est Tragœdię. Quod autem diximus esse viroꝝ illustrium, in eo à Comœdia, vti per agentes personas ab Epopœia, secluditur.

TRAGOEDIÆ, ET COMEDIÆ
discrimina.

C A P V T X X X I.

QVinq; rebus potissimum Tragœdia & Comœdia differunt: Materia, Personis, Dictione, affectibus, Exitu. In Tragœdia Actiones sunt grandiores. Quid enim aliud legis ibi, quid audis, nisi luctus, exilia, cædes: atque vt paucis comprehendam, valde horribilia, & ad memoriam sequentium seculorum admodum insignia? Quas quidem res interdum ex se comminiscitur, vt Comœdia semper: sæpius ab aliis mutuatur, vt Comœdia nunquam. Comœdia res humiles, plebeias, ac ciuiles habet. Atque illa quidem magnatum fugiendam, hæc ciuilem, priuatorumque vitam expetendam exprimit. Quin etiam dum miserias & stultitias amantium imitatur, honestatem turpitudini præferendam monet. Quod ad Personas attinet, Comicæ sunt ignobiles, obscuræ, ciuiles tantum, Chremes Paterfamilias, Pamphilus adolescens, Dauus seruus, Phronesium meretrix, Ergasilus parasitus. Tragicæ illustres viri, illustres scœminæ, Principes, reges, imperatores. Illæ è pagis, & oppidis, istæ ex amplissimis vrbibus, & arcibus, accersitæ. Quod erat tertium, Dictio Comica verbis cõstat tritis, vsitatis, quotidianis, figura infima. In Tragœdia oratio conficitur verbis electis, sublimibus, sonantibus plenis, à communi consuetudine abhorrentibus. Omne genus scripti grauitate Tragœdia vincit. Hinc Tragicè loqui, Comœdiæ sermo est artenuatus. Interdum tamen & vocem Comœdia tollit, vt est apud Horatium.

Iratuſq; Chremes tumido delitigat ore, •

Et

Et Tragicus plerumq; dolet sermone pedestri.

Sequuntur affectus, qui in Comœdia sedatio-
res sunt, ἴσθι vocant Græci; in Tragoedia vehe-
mentiores, qui πένθι appellatur. Quod postremo
loco posueramus; Exitus Comœdiæ latior est,
cum eius initium plerumque sit paulò turbulen-
tius, ac tristius; Tragoediæ inæstus, ac funestus
planè. Hoc perpetuò verum non est. Nam & in
Comœdia nonnunquam infelicem exitum inue-
nias, quamvis non sine festiuitate, & in Tragœ-
dia felicem. Restant adhuc notanda Duo. Vtraque
in agendo, non in narrando versatur, habetque
eundem imitandi modum, & eodem spatio tem-
poris finitur, totidemque & iisdem partibus con-
stat. Studiosis eloquentiæ plus multò prodest
Tragoedia quam Comœdia: quamquam hæc quo-
que non modicè prodest. Hauriūt inde verborum
delectum, splendorem, grauitatem maximam,
sententiarum pondera, amplificationum ratio-
nes, affectuum varietatem, magnitudinem, o-
mnis denique generis præclara, & ad docendum,
delectandum, promouendum summè idonea or-
namenta.

*DE APPELLATIONIBVS FABV-
larum seu Dramatum.*

C A P V T XXXII.

FAbulis, seu Dramatis, siue illa Comœdiæ si-
ue Tragoediæ fuerint, nomina imponuntur vel
à Loco vel à Re, vel à persona primarum partium:
sic enim non male nominabimus, quæ est præ-
cipua inter omnes. Nomine Rei plura comple-
ctor, nempe casum, euentum, fortunam, con-
ditionem, & similia. Aliquando cum sint plures
Fabulæ de eodem, ad differentiam significandam
coniunguntur Personæ, & Res, seu Locus, & fi-
unt inscriptiones mixtæ; vt Hercules furens Se-
necæ; quoniam alia est Tragoedia eiusdem, Her-
cules OEtæus.

D E

BVcolica Poesis personas humiles illas quidem vt Comœdia, veruntamen rusticas, & agrestes, non urbanas, quæ sunt paulò elegantiores, comminiscitur, & est vmbra quædam, seu quoddam simulacrum rusticanae Comœdiæ: quando nimirum induobus illis Poematum modis versatur, quorum alter *μυμητικός* dicitur, alter *μικτός*, de quibus egimus. Prioris generis exemplum esto Eclog. I. Tityre tu patulæ. Posterioris Ecloga 8. Pastorum Musam. Atque istis imitandi modis ei cum reliquis Poeseos generibus Epopœia, Comœdia, Tragœdia societas est. Argumenta, & Personas sumit ab agris, & siluis, pastores, vinitores aratores, olitores, accipitque nomen potissimum à pastoribus, & iis quidem nobilioribus, bubulcis videlicet. Tractantur Bucolicis vota, gratulationes, laudationes, obtrectiones, altercationes, cohortationes, pollicitationes, conquestiones, gaudia, pompæ, cantus, hilaritates, ioci. Verum omnia agrum olere debent. Ideo regnat in Bucolicis Hexameter, & præterea nullum genus carminis, propterea quod narrationibus videtur accommodatissimus & cantilenis rusticis idoneus, nec ineptus actioni, modò ne adsit granditas, neue longiore ambitu circumducatur. Laudatur autem si Primus & Quartus pes integra voce terminetur, præsertim Dactylica.

Tityre pascentes à flumine reijce capellas.

Quod diligenter custodiuit Theocritus. Definatur Bucolica poesis: *rusticarum actionum imitatio*. Fabula erit vna & simplex, non tamen digressionem non admittet. Nec necesse erit semper esse Allegoricam. Nomina rebus apta fingemus: aut iam ficta à bonis auctoribus mutuabimur. Oratio vacabit splendore & ornamentis, gravitate,

tate, sententiarum acumine, iisque omnibus, quæ rerum humilitati aduersantur. Erit autem pura ac demissa: in quo Theocritus antestatur Virgilio. Partes constituunt Duas: Principium & Narrationem. Interdum aliquid loco Epilogi adiungitur.

BUCOLICORUM ETYMON.

Origo, Partes, & Pastorum
Genera.

CAPVT XXXIV.

Dicta sunt Bucolica, ἀπὸ τῶν βουκόλων, id est, à custodia bouum, seu bubulcis: βῶς enim bos est, κῆλον pabulum. Non quod de bobus & bubulcis in his tantum agatur, verum καὶ ἐξ ὀχῆν: hoc est, per excellentiam, quod præcipua animalia apud rusticos sint boues, & præcipui pastores bubulci. Pastorum alii dicti sunt βουκόλοι, id est, bubulci à bobus, alii αἰπόλοι, id est, capratii à capris, alii ποιμένες, id est, opiliones ab ouibus, quasi ouiliones quos Virgilius vltima Ecloga Vpiliones vocat. Alii Opiliones quasi ouipiliones à pellen- dis ouibus dici volunt. His alii addunt συβῶτες, id est, subulcos. Quorum Bucolici Poetæ fere non meminerunt, nisi quod quidam 10. Ecloga Bucolicorum Virgilio, Tardi venere subulci, legunt vbi alii bubulci malunt, & rectius: nam subulcorum neq; Virgilius, neque Theocritus meminit. Hinc poemata βουκολικὰ, αἰπολικὰ, ποιμένικα, nominata sunt, quæ tamen non semper sunt vnius generis. Quod ad originem attinet, referunt Daphnim, cui nomen natalia dedere, in laureto enim editus legitur, à Nympha, cum in Sicilia vaccas, quæ Sorores Solis erant, pasceret, perditissimè adamatum: quæ ei cæcitatatis prædixit calamitatem, si amorem suum alterius pollueret

C

consue-

consuetudine. Aliquando post tempore filia Regis, eum, quod omnium pulcerrimus esset, quum deperisset: neque alio commento potiundi spes foret, vino obrutum corripit. Hinc Bucolicæ cantiones primum cantari cœptæ sunt, quibus hoc oculorum Daphnidis incommodum materiam dedit. Aiunt a Stesichoro poeta Himeræo eiusmodi argumentum tractatum primum. Utebantur autem Musico instrumento, quam Græci a sibilo *σύριγγα*, Latine ab hiatu Fistulam nominant. Singulares primum tubuli, mox bini coherentes lino aut cera. Postremò ad septenos usque magnitudine omnes inter se impares, sed proportione certa ad alæ figuram: In summo qua inflabantur æquales, inæquales qua exit spiritus. Descripsit & materiam, & modum, & numerum Virg. illo versu.

*Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.*

Bucolica diuiduntur à Virgilio in Eclogas, à Theocrito in Idyllia. Visum est quibusdam in Bucolico carmine esse Eclogas, & Idyllia, quod in Comœdia sunt Scenæ. Constat enim actum fuisse olim atq; exhibitum in Scena hoc quoq; Poematis genus. Quamobrem & Comicoꝝ more præposita putantur singulis Eclogis sua nomina. Dicitur Ecloga ab *ἐκλέγειν*, id est, à delegendo personas, res & sententias ex aliis, quæ lectis quoq; verbis exponantur. Sunt qui pronuntiationem vel narrationem qualemcunque, rerum negotia exponentem hac voce seu inscriptione significari velint. Idque probare nituntur ex Ausonio, qui Eclogas scripserit, & nominauerit etiam non Bucolicas, de vita humana, & cruciatu Cupidinis. Errant qui volunt Eclogam dictam *ἀπὸ τῆς αἰγῆς ἢ λόγος*, quod sint de capris, seu caprariorum sermones, & repugnat huic rationi scriptura, foret enim scribendum *Ægloga*, non Ecloga.

DE ELEGIACA POESI.

USVS, NOTATIO, INVENTIO

Elegia.

CAPVT XXXV.

Pentameter solitarius non reperitur; quanquam Virgilius vni Hexametro, quatuor continuos subiecit.

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.

Sic vos non vobis nidificatis aues.

Sic vos non vobis vellera fertis oves.

Sic vos non vobis mellificatis apes.

Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Ansonius item in sententijs septem sapientum, Thaletis Milesii dicta Pentametris inclusit, quos ob elegantiam, & utilitatem ad mores formandos adolescentibus ediscendos propono.

Turpe quid ausurus, te, sine teste time.

Vita perit, mortis gloria non moritur.

Quod facturus eris, dicere distuleris.

Crux est si metuas, vincere quod nequeas.

Nil nimium, satis hoc, ni sit & hoc nimium.

Cum vero obiurgas, sic, inimice, iuuas.

Cum falso laudas, sic & amice, noces.

Pentameter Hexametro subditus genus quoddam gignit, quod Elegiacum vocatur, Tibullus.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,

Et pauidas mentes falsa timere iubent

Elegiaco primum res tristes, & luctuosae mandabantur. Terentianus.

Hos elegos dixere solet quod clausula talis

Tristibus, ut tradunt, aptior esse modis

Hoc ipsum nomen declarat: dictum est enim $\lambda\pi\tau\ \tau\tilde{\iota}\ \acute{\epsilon}\lambda\epsilon\sigma\omicron\nu\ \lambda\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\iota\nu$, vel ab $\acute{\epsilon}\ \acute{\epsilon}\ \lambda\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\iota\nu$, quod idem est ac, $\acute{\alpha}\iota\ \acute{\alpha}\iota$, $\lambda\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\iota\nu$, & utraque interiectio vsitata est omnibus Tragicis, Funebribus lamentationibus

bus potissimum inuentam Elegiam insinuat Ouidius in mortem Tibulli.

*Flebilis indignos Elegeia solue capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.*

Progressu temporis res secundæ, optatæ, & quidquid animus ferret, Elegis scribi coeptum est: vt querelæ, exostulationes, preces, amores, vota, laudes, gratulationes, admonitiones conuicia Horat. ad Pisones.

*Versibus in pariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.*

Epicedia quoque, Epigrammata, & epistolæ hac forma carminum conficiuntur. Iouianus Pontanus ad hymnos Elegiam conuertit. Præcipiunt nonnulli in Elegiaco obseruandum esse, vt vno disticho sententia finiatur. Ouidius,

*Gentibus est alijs tellus data limite certo,
Romana spatium est urbis, & orbis idem.
Iam seges est ubi Troia fuit, ressecandaque falce,
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.*

Est tamen vbi sententia suspenditur, vt vel disticho sequenti, vel etiam tertio absoluetur. Ouidius in querela Nucis

At postquam Platanis sterilem præbentibus umbram.

*Uberior quauis arbore venit honor:
Nos quoque fructifera, si nux modo ponor in illis:
Cœpimus in patulas luxuriare comas.*

Idem.

Siue malum potui tamen hoc vitare cauendo:

*Seu ratio fatem vincere nulla potest:
Tu tamen ô nobis vsu iunctissime longo,
Pars desiderij maxima pæne mei:
Sis memor, & si quas facit tibi gratia vires,
Illas pro nobis experiare, rogo.*

Sed illud maximè cauendum est, ne post duos versus ita pendeat sententia, vt verbum in tertium vsque versum referuetur.

VIR

V I R T U T E S , E T A R T I F I C I V M

Elegorum.

C A P V T X X X V I .

O Ratio Elegiaca tersa sit oportet, lenis, ingenua, perspicua, morata, tenera, affectibus referta, Pathetica, & sententiis exquisitis minime obfusata, atque impedita. Mirifice eam ornant frequentes commiserationes, conquectiones, exclamationes, apostrophæ, prosopopœiæ, seu fictæ personæ, excursus, & *παρρησιαί* seu breues & cum re aptè cohærentes digressiones: non modicum eidem decus accedit per allusionibus & exemplis: exemplis, inquam, non modo à simili, verum etiam à dissimili, & contrario. Interdum ad comparationem adhibentur. Intericiuntur item sententiæ, tum breues, tum acutæ, quibus id, quod est propositum, confirmatur. Magnum in primis Elegiæ decus est, antiquitatis aliqua significatio. Quò breuius, paucioribusque verbis antiquitates huiusmodi, siue ad fabulam, siue ad historiam, siue ad aliquem priscum ritum, moremve pertineant, efferuntur, eò venustius carmen redditur. Synalephæ, si vsquam alibi, hic vitandæ sunt: frequentes item Ecclipses: multum quippe fluentes illas huius carminis delicias remorantur, atque imminuunt quodammodo, & sunt tanquam vortices ac scopuli quidam, vt in hoc Hexametro videre est,

*Aut abeuntis adhuc supremum anima halitum in
auras.*

Præterea & Tibullus, vt Muretus animaduertit, elegantiam quandam iudicauit esse in eiusdem syllabæ continuatione. lib. 1. Eleg.

Me mea paupertas vitæ traducat inertæ.

Ipse seram teneras maturo tempore vites

Rusticus, & facili grandia poma manu.

Eleg. 3

63

11477

--- nam posse mederi

Multa docet templis picta tabella tuis.

Eleg. 4.

Nudus & aestivi tempora sicca canis.

Fit porro suavior, si Monosyllabum præcedat.
Me mea paupertas.

Idem Poeta Penthemimerim crebriò negligit in Hexametro, & ex tarditate quandam iucunditatem aucupatur: Subiungemus aliquot testimonia lib. 1. Eleg. 2. 3.

Neu strepitu terrete pedum, neu quarite nomen.

Illic est cuicumq; rapax mors venit amanti.

Tisiphoneq; impexa, serox pro crinibus angues.

Et Propertius id sæpè facit lib. 1. Eleg. 2.

Aspice quos submittit humus formosa colores.

Eleg. 5.

Quid tibi vis, insane, meos seruire furores?

Lib. 2. Eclog. 8.

Sed vobis facile est verba & componere fraudes.

Ovidius interdum Cæsura subdit encliticam, & non iniucundum carmen efficit. Iucundius autem quando idem fit post Enneemimerim, ut in Primo, & Quarto versuum qui sequuntur.

3. Fastorum.

Sole tamen vinoq; calent, annosq; precantur.

Ibidem.

Iussa facit, ventoq; ratem committit & undis.

4. Fastorum.

Pallor abit, subitaq; vident in corpore vires.

Imminet huic, sequiturq; parem, similisq; furenti.

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent.

Talis Virg. Eclog. 8.

Manatus argutumq; nemus pinosq; loquentes.

OBSERVATIONES ALIQUOT de Pentametro.

1. Prius Hemistichium absoluitur syllaba longa, qua dictionem finiat. Nam cæsura Penthemimer-

mimer-

mimeris hic necessaria est, & vitiosum est hoc carmen à Diomede positum.

Hac quoque nostra sententia mentis erat.

2. Elisio, & Collisio in omni Cæsura Penthemimeri sunt duriusculæ, vt in hoc versu Catulliano.

Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis.

Item.

Non desistere amare, omnia si facias.

3. Neutrum Hemistichium aptè desinit in dictionem Monosyllabam Catullus.

O di reddite mi hoc pro pietate mea.

Idem.

Aut facere, hac à te dictaq; factaq; sunt.

Hinc duæ sunt exceptiones.

Cùm eam altera Monosyllaba antecedit. Ouidius.

Premia si studio consequar ista sat est.

Idem.

Magna tamen spes est in bonitate Dei.

2. Aut cum in dimensione coalescit cum dictione precedente, idque per Collisionem. vt Nomina mutarunt, hic Deus, illa Dea est.

Et solum constans in lenitate sua est.

3. Addunt nonnulli cum monosyllabam vocem antecedit Dissyllaba. Martialis:

Sunt hæc trita quidem Zoile, sed mea sunt.

Ouidius.

Omnis, at in magnos, culpa, Deos scelus est.

DE FINE VERSUS

Pentametri.

4. Pentameter versus clauditur dictione Dyssyllaba elegantissimè. Propertius.

Non datur ad Muses currere lata via.

Rarius, sed non vitiose, Tetrasyllaba, Pentasyllaba, Hexasyllaba.

Tetrasyllaba. Mart.

Dantur opes nullis, nunc nisi diuitibus.

C. 4.

Pen-

Pentasyllaba. Ouid.

Lis est cum forma magna pudicitiae.

Hexasyllaba. Propert.

Protinus ingentes sunt inimicitiae.

Trisyllaba duriuscule, nisi impetus quidam, aut affectus, vel sententia exprimatur. Propert.

Et caput impositis pressit amor pedibus.

Tibullus.

Hafura in nostro tela gerit latere.

Vel nisi praecedat Monosyllaba. Propert.

Abfueram vestris conscius in lacrymis.

Martialis.

Aut docuit lusus hos Thetis, aut didicit.

Vel in Epigrammatis, ubi sensus argutia magis spectatur. Martialis.

Delicia populi qui fuerant domini.

DE LYRICA POESI.

CAPUT XXXVII.

Cum olim vno genere formaque decurreret Lyricum, ob maiorem voluptatem, dissimilibus numeris, & vario pedum discrimine, ita temperatum est postea, ut innumerabiles Lyricorum carminum species essent. Commendatur, & ab aliis partibus Poeseos quasi fecernitur suavitate. Nam ut in carmine Heroico dominatur, & eminent grauitas, in Bucolico simplicitas, in Elegiaco teneritas & mollities, in Iambico, & Satyrico acrimonia, & acerbitas, in Comœdia ioci, in Tragœdia *παιδ*, in Epigrammatis acumen, sic in hoc carminis genere Poeta se totum ad delinendas hominum mentes varietate, & breuitate versiculorum, ac totius cantilenæ exquisita vocum elegantia, nitore, sono, concinnitudine numerorum, descriptione rerum suapte natura maximè delectabilium fingere, & accommodare consuevit.

DE

D E N O M I N I B V S L Y R I C O R V M
versuum.

C A P V T X X X V I I I .

Qvod hæc carmina cum Cantu, & ad Lyram pronuntiarî solerent, à canendo, ὠδὴ (& forma diminutionis ὠδαία, parua oda, seu odula) vt latine carmē eadem ratione, κατ' ἐξοχήν ab instrumento musico, Lyrica, & vates Lyrici cognominati sunt. Dicuntur præterea Græcis appellationibus μέλη μολῶν, ᾠμαί, quarum eadem est potestas quæ primi illius: cantus enim iis signatur. A Melos fit Melicum, quod pro Lyrico vsurpatur. Lyricum à laudatione, atque votis appellatur Hymnus. Pindari Odas inscriptas videmus εἶδη, quasi poemata sint rerum imagines quædam, vt vox latine sonat, Formæ, Species: hinc εἰδύλλια, Formulæ: fortassis Formulæ poematis, seu Parua poemata: qualia de Græcis fecit Theocritus Syracusanus, de Latinis Ausonius.

D E P A R T I B V S O D A R V M

C A P V T X X X I X .

Carmen Lyricum, quod scholiastæ Pindari tradiderunt, antiquitus tantum erat Monostrophon, postorius tribus partibus constare cepit. Strophe, Antistrophe, & Epodo. Laudes quippe Deorum Dearumque carminibus comprehensas aram circumiens chorus decantabat. Primum ambitum, quo sinistorsum ingrediebantur, στροφὴν, Conuersionem: alterum quem dextrorsum redeuntés conficiebant ἀντιστροφὴν, Reuersionem: ipsa cantica Oden, & Antoden vocabant: quæ quidem ab illis itionibus, & reditionibus etiam Strophæ, & Antistrophæ. Tandem in medio, & velut in conspectu Deorum quiescentes quod reliquum erat cantus persoluebant: id

ἐκ τῆς ἐπιπέδου τῆς στροφῆς ἀντιστροφῆς, quod acci-
neretur cæteris partibus, siue ἀπὸ τοῦ μετὰ τὴν σρο-
φὴν ἀδελφῶν, quo post Strophem canebatur, ἐπωδὸς
dicebatur. Strophæ & Antistrophæ totidem, ac
eisdem versibus, pari ferè numero syllabarum
cōponebantur: Epodus alios, vel plures, vel pau-
ciores, quam ille recipiebat. Si quando Oda plu-
res Strophas, & Epodos haberet, in sequentibus
præcedentium ratio custodiebatur. Et hic qui-
dem mos Græcis fuit. Quod verò præscriptum est
Odis Horatianis. Ode dicòlos, tricòlos, distro-
phos, tetrastrophos, &c. declarat ex duobus,
tribus, aut quatuor diuersis generibus conflatas
esse: & aliquando post Secundum, interdum post
Tertium, aut Quartum carmen Reuersionem fi-
eri ad primum genus.

A compositione carmen dicitur

Monocòlon latine vniforme seu vnimembre,
quod constat ex Vno genere carminis: vt cum
omnia Hexametra, Iambica, vel Asclepiadea
sunt.

Dicòlon, quando Duo carminum genera mis-
centur: vt Hexametrum cum Pentametro: Gly-
conicum cum Asclepiadeo.

Tricòlon, cum tria miscentur genera. Sic Te-
tracòlon cum quatuor.

A Reuersione carmen dicitur

Distrophon, cum post Secundum versum, ad
prius genus reuertimur: vt in Elegiacis.

Tristrophon, cum post Tertium versum fit ad
primum reditus.

Tetrastrophon, vbi post Quartum versum fit re-
ditus ad primum. Exempla sunt apud Horatium,
qui vltra hunc numerum non excedit.

Pentastrophon, cum post Quintum versum
fit regressio ad primum. Exempla apud Prudenti-
um in Romano, & Eulalia reperiuntur.

A Numero syllabarum dicitur

Adoni-

Adonium carmen Pentasyllabum, Glyconicum, Heptasyllabum, Phalæcium, Hendecasyllabum, quod nomen etiam Sapphico conuenit.

Ab inuentore carmen dicitur

Adonium, Sapphicum, Glyconicum, Phalæcium, Asclepiadeum, Pherecratium, Pindaricum, Aristophanicum, Alcmanicum, Alcaicum, Hippocractium, Archilochium.

A Numero versuum carmen dicitur

Distichon, Tetrastichon, Hexastichon, Ogdoastichon, Decastichon, Dodecasticon, &c.

A materia carmen dicitur

Heroicum, Elegiacum, Satyricum, Comicum, Tragicum, Bucolicum, Georgicum, Epitaphium, Epicedium, Epinicium, Epithalamium, Genethliacum, &c.

A Tede crebriore carmen dicitur

Dactylicum, Iambicum, Trochaicum, Anapesticum, Choriambicum, Ionicum, Pæonicum, Anispasticum.

A Depositione carmen dicitur

Catalectum, Acatalectum, Brachicatalectum, Hypercatalectum: de quibus in Profodia.

A mensura carmen dicitur

Monometrum, Dimetrum, Trimetrum, Tetrametrum, Pentametrum, Hexametrum.

Ereostichon carmen dicitur, quod annorum numerum continet.

Hemeroastichon, quod dierum numerum habet.

Acrostichis, cuius initiales versuum litteræ ordine collectæ certum sensum præbent. In Acrostichide Seruatoris nostri eulogium inclusit Sibylla quam legerat Cicero, meminitque tam celebris carminis in libris de Diuinatione. Idem nonnunquam in medio & fine versuum

fit.

DE

Hymnus, propriè si loquamur, nihil est aliud quam ἡ ὕμνος τοῦ θεοῦ, Dei laus per carmen, siue cantus in Deum, sicut Scoliastes Sophoclis definiuit. In qua quidem Poësi vates Christianus cupidè, & cum lætitia versari debet: est enim tum propter rem subiectam, tum propter quandam diuinam delectationem nobilissima. Et si Hymnus propriè Dei Optim. Maxi. laus est, licet tamen nobis etiam Diuos, hoc est, eos, qui ex hæc ærumnosa hominum vita demigrantes, in cœlum recto itinere peruenerunt, & ab Ecclesia Catholica præcipua veneratione, templis ædificatis, diebus festis, & precibus, & cæremoniis anniuersariis coluntur, Hymnis celebrare, pro illis commentitijs, ac detestandis Ethnicorum numinibus Ioue, Mercurio, Baccho, Iunone, Pallade, Venere. Ita videmus quotidie sacris in ædibus, Hymnos de gloria & virtute cœlestium à pijs, sanctisque viris conscriptos decantari. In quibus quanquam verborum pigmenta, & sermonis puritatem non cernimus, pietatem reueremur, ac suspicimus.

D E H Y M N I S I N D E V M

Opt. Maxi.

C A P V T X L I .

Deum esse vnum in Essentia, trinum in personis, omnes qui sumus Christiana disciplina imbuti credimus. Licebit ergo Poëtis Deum modo vt Vnum canere, eique bonorum omnium summam perfectionem, & copiam tribuere, modo singulas Personas seorsum celebrare, & religiosè ac tinnide proprietates earum quibus distingui solent explicare.

Visum hic perelegantem M. Antonii Mureti Hymnum apponere in S. Trinitatem.

O nullis

*O nullis hominum peruia sensibus,
 Natura penitus sola capax tua,
 Cuius condita sunt omnia numine,
 Aeterna & monas & trias.*

*Nato aquaue Pater, Nateq; par Patri,
 Et manans ab utroq; inclyte Spiritus,
 Circumfusa tuo nubila lumine,
 Nostro discute pectore.*

*Da mens per speculum cernere te queat
 Nostra, & posthabitis te petat omnibus
 E iussisque tuis pendeat, & tibi
 Soli dedita seruiat.*

*Tu clemens miseris da veniam Pater:
 Tu Fili miseris sterne viam ad Patrem:
 Tu sanctum miseris Pneuma vagantibus
 Praefer conspicuam facem.*

*Simplex aetherij numinis Unitas,
 Quae distincta eadem est, veraq; Trinitas,
 Aeternis vigeat semper honoribus,
 Et terra simul & polo.*

DE HYMNIS IN DIVOS.

CAPVT XLII.

IN Hymnis Diuorum eligemus vnum aliquod factum, vnam aliquam praeclearissimam virtutem, seu plures, prout longi esse in animum induxerimus, & illam, illasve, quam poterimus suavissime elegantissimeque prosequemur. Licebit autem vel simpliciter extollere, & admirari Sanctum: vel tum hoc facere, tum ipsis laudibus breuem precationem annectere: qua id ab illo petamus, quod ipsum in primis Deo annuente, nobis concedere velle existimabimus: Interdum tantum modo aliquid rogare Diuum toto Hymno possumus, quamuis eiusdem laudes nunquam non intercurrent, & vsitatum esse omnes norunt laudare eum, à quo quid petas. Non indigent Caelites nostris laudibus: at nos eorum beneficiis indigemus. Initium Hymni venustum est, quando cate-

ros mortales inuitamus ad Sanctorum nobiscum
concordibus votis modulanda praeconia: cum sa-
lutamus eisdem, ut Prudensius Bethlehemitas
pueros.

*Saluete flores martyrum,
Quos, lucis ipso in limine,
Christi insecutor sustulit.*

Item cum exordimur ab Exclamatione. Excla-
mationibus autem, & admirationibus totos in-
terdum Hymnos complere licitum est. Iam vero
Hymnis Ecclesiasticis perpetuo eam clausulam
adiungi animaduertimus, qua Patri, filio & Spi-
ritui sancto, gloria, honorq; attribuitur, his aut
similibus rationibus.

*Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclito:
Et nunc, & in perpetuum.*

Hoc seruauit Hieronymus Videri Hymno in
D. Homobonum.

*Regi tamen sit gloria
Horum datori munerum,
Qui trinus, unus, omnia
Regnat Deus per secula.*

Et Sannazarius in diuum Gaudiosum.

*Laus tibi caeli pater, atque princeps,
Omnium rector simul & creator,
Quem fides veri studiosa trinum,
Credidit & unum.*

Et Muretus omnes hymnos suos ita concludit.

*Simplex aethery numinis unitas,
Qua distincta eadem est, veraq; trinitas,
Aeternis vigeat semper honoribus,
Et terra simul & polo.*

Idem, Hymnum in D. Syluestrum Pontificem
Max. festiue admodum inchoauit ab Apostrophe
ad urbem Romam. Scimus autem hoc esse infi-
gne orationis ornamentum apud Rhetores: imò
etiam apud Poetas.

Priscos

*Priscos Roma duces desine laudibus
Efferre immodicis, qui valida manna
Fines imperij protulerunt tui*

Quacumq; Oceanus patet.

Hic, solus tibi plus contulit omnibus, &c.

Præterea Hymnus in die Epiphania, est colloquium elegans & pius inter poetam, & Magos. Interrogabat Poeta, quæ ipsos causa è patrio solo huc adduxerit, quem quæsitum venerint, cui munera apportent. Respondent illi ad singula. Tum rursus percunctatur, quid singula dona sibi velint: Id Magi explicant. Hymnus ita distinctus sequitur:

Poeta.

*Quæ vos causa Magi, dicite perpulsi
E vestris iter hic carpere finibus?*

Quem tanto studio queritis anxij?

Quæ hæc munera pertinent?

Magi.

Nos stella insoliti luminis huc trahit,

Et dux certa viam perpetuo præit,

Iudææ populis quæ cupientibus

Regem significet datum.

Poeta.

Auri isthac, sed enim quid sibi pondera,

Myrrha mirificus quid sibi vult odor:

Aut quæ, cum populus sacra Deo fecit,

Aris Thura solent dari?

Magi.

Rex auro colitur, Thura Deum decent.

Nostri myrrha homines post obitum linunt.

Huic ergo hæc pariter munera congruunt.

Qui est Rex, est & homo, & Deus.

Cauenda sunt ὁμοιοτέλευτα in Dimetris Iambicis, quæ in Ecclesiasticis Hymnis perpetuo solent, anxieque seruari. Nec mirum, quando eum leporem similiter quæsitum studiose videmus in aliis plurimis, quæ leguntur, & canuntur in templis. Si inciderint cum aliqua festiuitate,

tate,

biscum
cum sa-
temitas

Excla-
tos in-
n vero
fulam
& Spi-
his aut

io in

udit.

no

cem
phe
nfi-
mo

iscos

tate, non erunt reiicienda, tanquam absolute semperque vitiosa. Inuestiganda autem, & continenter vsurpanda nequaquam.

METRA ET LONGITUDO
Hymnorum.

C A P V T X L I I I .

Homerus & illo maior natu Orpheus, & Callimachus carmine Hexametro hymnos permultos in Deos, Deasque longis versibus condiderunt, qui ad Citharam canebantur. Hos feliciter imitati sunt eodem carminis genere recentiores nonnulli. Vnde præterea sicut ante eum Iouianus Pontanus Elegiacum carmen adhibuit, cum in Christum è cruce pendentem Hymnum faceret. In Hymnis Ecclesiasticis fermè Lyrica tantum metra frequentantur, & ex horum generibus, vt plurimum Iambica Dimetra Acatalecta, itemque Sapphica. Hymni, qui Hexametris versibus fiunt, vt plurimum sunt longissimi. Aliorum generum plerumque contracti sunt, & non ita multorum carminum. Quanquam Aurelius Prudentius panè semper conficiat longissimos. Certa mensura constitui non potest. Ex vna Strophe (sic quippe licet appellare qualiumcumq; versuum quaternionem) non fit Lyricum, nec Hymnus. Ex duabus apud Horatium legimus Sapphica lib. 1. Ode 30.

*O Venus Regina Cnidi, Paphiæ,
Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure de multo Glyceræ decoram*

Transfer in ædem:

*Feruidus tecum puer, & solutis
Gratiæ zonæ, properentq; Nymphæ,
Et parum comis sine te Iuventas,
Mercuriusq;.*

Et eiusdem libri Ode vltima.

*Persicos odi puer apparatus:
Displicent nexæ philyra corona.*

Mitte

*Mitte sectari rosa quo locorum
Sera moretur.*

*Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem.*

Et lib. 3. Ode 22.

*Montium custos, nemorumq; virgo,
Qua laboranteis utero puellas
Ter vocata audis adimisque leto
Diuatrisformis:*

*Imminens villa tua pinus esto:
Quam per exactos ego latus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.*

DE IAMBICO CARMINE.

CAPVT XLIV.

Iambicum carmen *παρὰ τὸ ἰαμβίζειν*, id est, conuitiari, probra iacere, nominatum esse contendit Aristoteles. Iambea poesis potissimum exercetur in obiurgationibus, reprehensionibus, vituperationibus, detestationibus, quorum omnium materia sunt vitia, scelera, flagitia, mali mores denique: item quaecunq; non decent, aut aliena sunt virtutis, grauitatis, honestatis. Usurpant etiam Iambum, etiam si id minus proprie, in laudatione, in gratulationibus Catullus, & Flaccus. Ille Phaselum suam prædicat, & peninsulam Sirmionem. Hic vitam rusticam.

*Beatus ille, qui procul negotijs
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis.
Solutus omni fœnore.
Nec excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumq; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.*

Nomine Iambi seu Iamborum eruditus cum
pes,

per, tum versus saepenumero appellatur. Hac eadem voce intelligitur & illud genus Senarii, quod ultimum pedem Spondeum postulat loco Iambi, quem tamen Spondeum praecedat Iambus. Quod idcirco fieri oportet, ut versus nimia tarditate non languescat. Quanquam Graeci quibus est nihil negatum, & Severinus Boetius lib. de consolat. Philosophiae Spondeum Quinta fede collocare non verentur.

*Quisquis profunda mente vestigat verum,
In se reuoluat intima lumen visus.*

Huiusmodi versus Scazonies, seu Choliambi, quasi dicās claudicantes, seu claudi, aut mutilati Iambi vocantur (priores enim qui Iambo finiuntur, Recti dicuntur) quibus saepe utitur Martialis. Etenim cum versus Iambicus ad maledicendum reperiat aptissimus, tum in hoc vno negotio supra ceteros isti Scazonies excellunt. de vtroque. Ouid. 1. de remed.

*Liber in aduersos hostes stringatur Iambus,
Seu celer, extremum seu trahat ille pedem.*

DE IAMBICIS, ET TROCHAEICIS
Comicis, seu mixtis.

CAPVT XLV.

POetae Comici ut quotidianum sermonem imitarentur, & populi plausum captarent, orationemq; prosae simillimam redderent, locis omnibus in vtroque carminis genere praeter Iambum, & Trochaeum pedes proprios, usurpant promiscue Impropios pedes quatuor, Tribrahium, Spondeum, Anapastum, Dactylum, excepta Ultima regione quam in Iambicis Iambus, in Trochaicis Trochaeus semper occupat. Exemplum Iambi Trimetri Acatalecti habes Scen. 1. Act. Andriae. *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli.*

Et quae sequuntur Trochaici vero Tetrametri Catalecti Scen. 4 Act. eiusdem Comediae.

Audi-

*Audiui Archillis iam dudum: Lesbiam adduci iu-
bes, &c. Sed hæc Comitorum & Tragicorum ve-
terum licentia est, quam Græci Tragicæ: & La-
tinus Seneca, non putarunt sibi concedendam.
Comici ut populo similiores fierent, nec ab eius
sermone multum recederent, pro personarum &
temporis ratione & respectu miscent Iambicis
Trochaicos, Octonariis Senarios, Catalectis A-
catalectos.*

*DE SATYRICA POESI. NO-
men, & Origo.*

C A P V T XLVI.

*S*atyra pœma est urbanum, iocosum, falsum, ad re-
prehendendos mores corruptos, & accusandam vi-
ta improbitatem comparatum. Satyræ appellatio
videnam facta sit necdum pro certo affirmari
potest. A lancis genere inditam esse quibusdam
placet: Illo nempe quo sacris cerealibus primitiæ
inferebantur fructuum dissimilium. Sic in Satyra,
inquiunt, variæ ac diuersæ res tractari solent, qui-
bus illa velut expletur & satiatur. Hinc atque à sa-
tietate Satyram, quasi Saturam appellari visum
est. A saliendo quoque dictam, crediderunt ali-
qui, ob argumentorum varietatem. Per quam fit,
ut more Satyri animantis illius sine modo atque
ordine huc illuc ferri, rapi, & volitare videatur.
Quid si ab ipsismet Satyris? quando in hoc Poe-
mate videmus Diis illis petulcis, lasciuis, dicaci-
bus digna proferri? Primus Satyrographus fuit Lu-
cillus, maior auunculus Pompeii Magni, hic in
cuium vitiis liberrime, ac falsissime accusandis,
Primo Iambis usus est. Deinde Senarios in Hexa-
metros mutauit, quia hic versus narratione
congruebat magis. Post Lucilium nume-
rantur. Terentius, Varro, Horatius,
Persius, Iuvena-
lis.

ARGV-

QVemadmodum prisca illius Comœdiæ, item Iamborum, & quorundam Epigrammatum, ita Satyræ quoque materia dici potest turpitude vel risu digna, vel odio. Quocirca si quid ridiculum, aut odiosum non est, habet autem luctum, terrorem, commiserationem, ut res Tragœdiarum, in Satyram minimè cadit. Irridet & exagitat Satyræ inertes, parasitos, deformes, loquaces, ingratos, libidinosos, potatores, auros, foeneratores, sicarios, fures, adulteros, &c. Recte fecerit, qui morbos animi Satyræ subiecerit, quod in his non secus occupata est, quàm Medicorum ars in doloribus, vulneribus, & ægrotationibus corporum. Proponit utraque sibi sanitatem, sed ista oratione, illa porionibus & herbis. Medicinas ambæ ægrotis faciunt amaras, insuaves, & ingratas, secant, vrunt, non parcunt. Satyræ utemur ad homines absterrendos à vitiis, & ad virtutem obiurgatione, irrisioneque impellendos. Ex quo patet, quanta sit eius utilitas: Corrigitur nimirum peruersi, & reliqui aculeos Poetarum istorum metuentes, à nequitia, & scelere longius refugiunt. Et quoniam amore virtutis abstinere se à pravis actionibus nolunt, formidine huius pœnæ, & infamiæ, quod nolunt id facere compelluntur. Veruntamen ioci, & sales Satyrici, carere obscœnitate rerum, verborumque debeat, & crimina libidinesque ita reprehendi, ut nedum animos reorum purgare volumus, & alios interim sinceros, & innocentes collutulemus, & ad morum turpitudinem quasi inuitemus. Dili-
gentior hac in re Persius, & seuerior
Horatius & Iuue-
nalis.

ARTIFICIUM SATYRÆ.

CAPVT XLVIII.

DOcuimus Satyræ quandam esse Medicinam: quapropter ne ea ob amritudinem ab ægroto statim respuatur, imitandi erunt Medici nobis, de quibus ita Lucretius.

*Nam veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenuis, interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali tactu recreata valeat.*

Eodem prorsus modo illinendæ sunt quibusdam suauitatibus obiurgationes Satyricæ, ut equiore animo excipiantur: iocis nempe & facetiis, quibus quodammodo animi ad hanc alioqui amaram potionem exhauriendam præparantur, & inducuntur. Sed oræ poculi, nimirum urbanitate ista condiuntur, & tum demum sentitur medicamenti amarities, cum est in ipsa viscera demissum. Et quamuis ad virtutem cohortari, à vitijs autem auocare magna contentione debeat Satyra, non ideo tamen eam de ipsis disputare conuenit: quod munus Philosophiæ relinquendum est, quæ & magistra virtutum, & vitiorum sola explicatrix habetur, Versutum, sagax, callidum, disertum, acutum ingenium hic requiritur, & à leporibus minime abhorrens, atque alienum. Partes certas nullas habet: aliquando insinuatione, sæpius abrupto, & incitato Principio utitur. Et licet abrupta Principia sint, ad totius tamen corporis compositionem pertinere debent: semperque loco Exordii aliquid esse necesse, quod ad ea, quæ sequuntur facilem comparet beneuolumque auditorem. Horatius principio Satyræ primæ id proponit, quod ubi longa exemplorum enumeratione probauit, apte concludit.

dit. Satyram integram in Poëseos studiosorum gratiam libuit ascribere.

Qui sit, Mæcenas ut nemo quam sibi sortens,
 Seu ratio dederit, seu sors obiecerit, illa
 Contentus viuat, laudet diuersa sequentes?
 O fortunati mercatores, grauis annis
 Miles ait, multo iam fractus membra labore.
 Contra mercator, nauim iactantibus Austris,
 Militia est potior. Quid enim: Concurritur: hora
 Momento, aut cita mors venit, aut victoria lata,
 Agricola laudat iuris, legumque peritus,
 Sub galli cantum Consultor ubi ostia pulsat.
 Illi datis vadibus, qui rure extractus in urbem est.
 Solos feliceis viuenteis clamat in urbe
 Cætera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
 Delassare valent Fabium, ne te morer: audi
 Quo rem deducam. Si quis deus, en ego, dicat.
 Iam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,
 Mercator; tu consultus modo, rusticus: hinc vos,
 Vos hinc, mutatis discedite partibus, eia
 Quid statis? nolunt. Atqui licet esse beatis.
 Quid caussa est merito quin illis Iupiter ambas
 Iratus bucca instet? neque se fore posthac
 Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
 Præterea: ne sic, ut qui iocularia, ridens
 Percurrat (Quamquam ridentem dicere verum
 Quid vetat:) ut pueris olim dant crustula blandi
 Doctores, elementa velint ut discere prima:
 Sed tamen amoto queramus seria ludo.
 Ille grauem duro terram qui vertit aratro,
 Perfidus hic caupo, miles, nautæq; per omne
 Audaces mare qui currunt, hac mente laborem:
 Sese ferre senes ut in otia tuta recedant,
 Aiunt: quum sibi sint congesta cibaria, sicut
 Paruula, nam exemplo est, magni formica laboris:
 Ore trahit quodcunq; potest atq; addit aceruo
 Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri
 Qua simul inuersum contristat Aquarius annum,
 Non vsquam prorepat, & illis vititur ante

Qua-

Quæsitus patiens, quum te neq; feruidus æstus
 Dimoueat lucro, neq; hiems, ignis, mare, ferrum;
 Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
 Quid iuuat immensum te argenti pondus, & auri,
 Furtim defossa timidum deponere terra?
 Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.
 At ni id sit, quid habet pulcri constructus aceruus?
 Millia frumenti tua triuerit area centum,
 Non tuus hoc capiet venter plus, quam meus: ut si
 Reticulum panis venales inter onusto
 Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
 Qui nil portarit. Vel dic, quid referat iura
 Nature sineis viuenti, iugera centum, an
 Mille areæ? At suaue est ex magno tollere aceruo.
 Dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquas,
 Cur tua plus laudes humeris granaria nostris?
 Ut tibi si sit opus liquida non amplius urna,
 Vel cyatho, & dicas, magno de flumine malle,
 Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere, eo sit,
 Plenior ut si quos delectet copia iusto,
 Cum ripa simus auulsos ferat Ausidus acer.
 At qui tantulo, quanto est opus, is neq; limo
 Turbatam haurit aquam, neq; vitam amittit in unda.
 At bona pars hominum decepta cupidine falso,
 Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis,
 Quid facias illi? iubeas miserum esse libenter,
 Quatenus id facis, ut quidam memoratur, Athenis
 Sordibus ac diues, populi contemnere voces.
 Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plauso
 Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.
 Tantalus a labris sitiens fugientia captat
 Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
 Fabula narratur congestis undiq; saccis
 Indormis inhians: & tanquam parcere sacris
 Cogaris: aut pictis tanquam gaudere tabellis.
 Nescis quid valeat nummus, quem præbeat usus?
 Panis ematur, olus, vini sextarius, adde
 Quæis humana sibi doleat natura negatis.
 An vigilare metu ex animem, noctesque, diesq;

Fer-

Formidare malos fures, incendia, seruos,
 Ne te compilent fugientis: hoc iuvat? horum
 Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum
 At si condoluit tentatum frigore corpus,
 Aut alius casus lecto te adfixit, habes qui
 Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut
 Suscitet, ac reddat natis, carisq; propinquis.
 Non vxor saluum te vult. non filius, omnes
 Vicini oderunt, noti, pueri, atq; puella.
 Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
 Si nemo praestet, quem non merearis amorem:
 At si cognatos, nullo natura labore
 Quos tibi dat, retinere velis, seruareq; amicos,
 Infelix operam perdas: ut si quis a sellum
 In campum doceat patentem currere frenis.
 Denique sit finis quarendi, quumq; habeas plus,
 Pauperiem metuas minus, & finire laborem
 Incipias, parto quod auebas: nec facias quod
 Uuidius quidam (non longa est fabula) diues,
 Ut metiretur nummos: ita sordidus ut se
 Non unquam seruo melius vestiret, adusque
 Supremum tempus, ne se penuria victus
 Opprimeret, metuebat. at hunc liberta securi
 Diuisit medium fortissima Tyndaridarum.
 Quid mi igitur suades, ut viuam Mauius? aut sic
 Ut Nomentanus; pergis pugnancia secum
 Frontibus aduersis componere. Non ego auarum
 Quum veto te fieri, vappam iubeo, ac nebulonem.
 Est inter Tanaim quiddam, socerumque Viselli.
 Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines:
 Quos ultra, citraq; nequit consistere rectum.
 Illic vnde abij, redeo: nemon' ut auarus
 Se probet ac potius laudet diuersa sequentes:
 Quodq; aliena capella gerat distentius vber,
 Tabescat: neque se maiori pauperiorum
 Turba comparet? hunc, atq; hunc superare labores.
 Sic festinanti semper locupletior obstat:
 Ut quum carceribus missus rapit ungula currus:
 Instat equis auriga suos vincentibus, illum

*Præteritum temnens extremos inter euntes.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conuiua satur, reperire queamus.
Iam satis est ne me Crispini scrinia Lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam*

NOTATIO, ET VSVS EPIGRAM-
matis.

CAPVT XLIX.

E Pigramma, παρὰ τὸ ἐπιγράφειν, superscribe-
re, seu inscribere, principio erat tantum
ἐπιγραφὴ, superscriptio, seu inscriptio, & quidē
ἀμετρῶς, seu numeris libera: pro elogiis inscri-
pta, aut incisa statuis, trophæis, imaginibus, cly-
peis, nauibus, sepulcris, monumentis, delubris,
ædificiis, magnificis demum operibus. Postea
quidquid de re tum animata, tum inanimata ele-
ganter, acutè, virbanè, breuiter ἐμμέτρως seu ver-
su dictum esset, seu laudationem, seu vituperatio-
nem, seu triste, seu lætum, seu aliquid quippiam
contineret, Epigrammatis ambitu, ac terminis in-
cludebatur, nullo ad inscriptionem respectu.

DEFINITIO EPIGRAMMATIS,
eiusque Diuisiones.

CAPVT L.

E Pigramma, vt est proprium Poëtarum, est
quoddam breue poëma, cum simplici cuiuspiam rei,
vel personæ, vel facti indicatione: aut ex propositis ali-
quid deducens. Hæc definitio ex diuisione confici-
tur, quemadmodum Cicero in Topicis definire
docet, & duo summa Epigrammatis Genera, spe-
ctata eorum forma comprehendit, Simplex ni-
mirum & Compositum Simplex est, in quo res a-
liqua, persona, seu factum exprimitur, nullaq; inest
comparatio: quemadmodum in his duobus exem-
plis

D

plis

lis, Æneid .3. Æneas dedicans clypeum Abantis,
rem carmine signat, nempe hoc.

Æneas hac de Danais victoribus arma.

Plura de se Virgilius illo disticho, quod sibimet
moriens fecit.

*Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.*

Indicat patriam, locum mortis, sepulturæ, ge-
nera scriptorum suorum, in quibus duobus ex-
emplis nihil nisi indicatio, nulla compositio. Com-
positum quod ex propositis quiddam, idque aut Maius,
aut Minus, aut Æquale, aut Diuersum, aut Con-
trarium deducit. In omnibus his collationes siue
relationes perspicis, quibus & tollitur simplicitas,
& gignitur comparatio, siue compositio. Ex-
emplum vbi Maius aliquid ex propositis deduci-
tur hoc sit. Mart. lib. .i. de Carpophoro.

*Sæcula Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent,
Iam nullum monstris orbe fuisset opus.*

*Non Marathon taurum, Nemeæ frondosa leonem,
Arcas Mænalium non timuisset aprum.*

*Hæc armata manus Hydra mors vna fuisset:
Hinc percussa foret tota Chimæra semel.*

Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros.

*Soluere & Hesperonem solus, & Andromeden,
Herculeæ laudis numeretur gloria, plus est*

Bis denas pariter perdomuisse feras.

Et lib. .ii. laudatur Nerua Traianus.

Tanta tibi est recti reuerentia, Cæsar, & equi,

Quanta Numæ fuerat, sed Numæ pauper eras,

Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,

Et cum tot Cræsos viceris, esse Numam, & c.

Quando Minus,

De C. Iulio Cæsar.

Spectat Alexandri picta ut certamina Cæsar:

Ast ego nondum aliquid gessi, at, illacrymans,

Quid si & Alexander spectasset Cæsaris acta?

Dixisset: Persas vincere pigritia est.

Quando par aut simile,

Catul.

Catullus ad Quintum.

Quinti si tibi vis oculos debere Catullum,

Aut aliud si quid carius est oculis:

Eripere ei noli multo quod carius illi

Est oculis, si quid carius est oculis.

Martialis lib. de Leone Casaris, in cuius ore ha-
debant lepores illæsi.

Aetherias aquila puerum portante per auras,

Illæsum timidis unguibus hæsit onus:

Nunc sua Casareos exorat præda leones,

Tutus & ingenti ludit in ore lepus.

Quæ maiora putes miracula; summus utriq;

Auctor adest: hæc sunt Casaris, illa iouis

Quando dispar, seu diuersum. Martialis de leo-
ne & lepore. lib. 1.

Rictibus his tauros non eripuerunt Magistri,

Per quos præda fugax itque, reditque lepus,

Quodq; magis mirum, velociter exit ab hoste,

Cum nil à tanta mobilitate refert.

Tutior in sola non est cum currit arena,

Nec caueæ tanta conditur ille fide,

Si vitare canum morsus, lepus improbe, queris,

Ad quæ confugias, ora leonis habes.

Quando contrarium seu repugnans.

Catullus.

Odi, & amo, quare id faciam, fortasse requiris,

Nescio sed fieri sentio, & excrucior,

Martialis ad Dindymum. lib. 5.

Insequeris, fugio; fugis, insequor; hæc mihi mens est:

Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo,

In habentem varios mores. lib. 14.

Difficilis, facilis, incundus, acerbus es idem,

Non possum tecum viuere, nec sine te.

Sunt qui tres tanquam classes Epigramma-
tum constituere. Vnam eorum, quibus ad rerum
inscriptiones utimur, vnde nomen ipsum est na-
tum, quæque prima origo Epigrammatis fuit.
Alteram, quibus laudes alicuius, aut vitia expli-
camus, siue, quibus laudamus, aut vituperamus.

D 2

Terti-

Tertiam, quib. fortuitum quippiam, vel nouum, vel admirabile, quod acciderit, argute exponimus, vel ipsi aliquid excogitamus, & comminiscimur. Fortuiti, & rari seu inopinati euentus est illud Carpyllidæ in eum, qui piscaturus, reti caput naufragio mortui attraxit quod cum manu scalpendo sepulchrum parans terræ mandaret, improuiso thesaurum inuenit. Conclusio est: Iustos viros pietatis mercedem haud amittere.

Capturo pisces: hamata in littore seta

Naufraga fortè hominis calua prehensa fuit.

Qui caput at. ilsum membris miseratus, inermi

Profubiens fecit vilia busta manu.

Pondus ubi infossi terra graue repperit auri;

Gratia sic iustis nulla bonisque perit.

Et illud Germanici Cæsaris ex Græco.

Thrax puer astricto glacie dum ludit in Hebro,

Frigore concretas pondere rupit aquas.

Dumq; ima partes rapido traherentur ab amne,

Abscidit heu tenerum lubrica testa caput,

Orba quod inuentum mater dum conderet vrna,

Hoc peperit flammis, cætera, dixit, aquis,

Admirabile seu magnum sit hoc de matre

Lacæna: quanquam etiam fortuita sæpe magna sunt, & contra item magna fortuita.

Marullus.

Mater Lacæna conspicata filium,

Relicta inermem parmula,

Progressa contra traicit ferro latus,

Super necatum hu increpans:

Abi hinc morere, non digna me proles, abi

Mentite patriam, & genus.

D I V I S I O E P I G R A M M A T U M

secundum tria anteposita Poëmatu

Genera.

Potest Epigramma reuocari partim ad Tragediam, partim ad Comœdiam, partim denique ad Epopœiam. Quare cum hæc tria Genera

vera Poëſios materia discrepent, Epigrammatis
 item materia non erit vna, ſibi que ſimilis: ideo
 nec ipſa Epigrammata. Ex Epopœia ſumit Epigram-
 ma laudationes in primis excellentium virorum,
 urbium, fluuiorum, portuum, locorum, fontium,
 monumentorum, &c. Fabuloſa quoque
 haud aliundè ſumuntur. Hinc igitur fit, vt in epi-
 grammate loquatur mira cum venuſtate Deus,
 aut Nymp̄ha, Satyrus, &c. quin aliquando am-
 nis, fons, arbor, ſtatua, vrbs, tumulus, locus,
 animal, cum aliis, aut cum ipſomet Poeta. Tra-
 gœdiæ propriè eſt rerum grauium, iuſtriumque
 tractatio, quæ multum doloris, & commiferati-
 onis, multum pariunt admirationis. Dolorem
 afferunt atrocia, Commiſerationem eadem ipſa,
 ſi aut immerenti eueniunt, aut accidant inter
 conſanguineos, inter parentes, & liberos, inter
 fratres & ſorores. Fortuita commouët admiratio-
 nem. Sunt autem admirabilia, quando præter
 opinionem aliud ex alio dependet, vt in vita OE-
 dipi, de quo habemus Tragœdiam Senecæ. Hæc
 omnia aptiſſima ſunt conficiendis Epigrammatis.
 Ad Tragœdiam quoque reiiciantur, quæ in mor-
 tem, interitumque alicuius ſcribuntur, eſt enim
 per ſe res Tragica mors, In Comœdia priſca,
 Poetæ homines impunè ac nominatim accuſa-
 bant, irridebant, contemnebant. Quæ materies,
 probroſa & ridiculoſa ſcilicet conuenit etiam Epi-
 grammatis, quorum auctores aliena peccata pate-
 faciunt, inſectantur, atque rident. Nec nomini-
 bus abſtinent, quod reprehendit præfatione lib. 2.
 Mart. quamuis ea ſæpius commutent, aut pro-
 veris ficta ſupponant: rem enim ipſam intelligi
 ab omnibus nihil vetat, pudori autem & famæ
 hominum conſulendum eſt, ſi conſuli adhuc po-
 teſt, Vetus quoque Comœdia laſciuus vocibus, &
 ſententiis abundabat, quæ conſuetudo in Epi-
 grammata irrepiſit, quorum plurima potiffimum
 Martialis, videmus eſſe plena turpitudinis, &

uum,
 imus,
 imur.
 illud
 nau-
 pendo
 rouiſo
 os pi-

matre
 magna

M

Tra-
 m de-
 a Ge-
 nera

nequitia. Ab Epigrammatis eiusmodi temperare nos oportet. Ex Comœdia item Antiqua loci, & sales ad Epigrammata profluxerunt. Illis quæ habent spem, metum, suspensionem, amorem, desiderium dissimulationem, subitam lætitiã, insperatum incommodum, misericordiam, fortunæ commutationem, & alia huius generis, Nonnam Comœdiam præbuisse materiam fit credibile.

DIVISIO EPIGRAMMATIS SE-
cundum tria Genera causarum.

VT civilis eloquentia in tripartita causarum varietate exercetur: sic Epigramma non incommode ad totidem, eademque genera ferè redigi potest. Itaque ad Iudicium reuocabuntur omnia, quibus alterum vitia, scelera, & mala facinorosa accusamus, quibus exostulamur, exprobramus, minamur, infirmulamur, inuehimur, &c. Ad deliberationem, quibus suademus, dissuademus, hortamur, dehortamur, petimus, deprecamur, inuitamus, consolamur. Ad Exornationem pertinebunt, quibus laudamus, vituperamus, siue homines, siue res alias quascunque, idq; siue in ipso homine, siue extra hominem. Item quibus commendamus, gratulamur, gratias agimus, aliquid dedicamus, & iocosa, quorum materia est turpitudò sine dolore, quæ potius risum excitet, quam indignationem.

EXEMPLA IUDICIALIUM.

ASinium Catullus de furto postulat. Nam secundum cœnam, quando conuiuæ urbanitati indulgere, & poculis capacioribus poscere consueuerunt, ipse mappas illorum, siue sudaria surripiebat, vt & apud Martialem Hermogenes. Et cum hoc valde facetum, & nimis lepidum putaret, eundem leporem in Catullum exercuerat.

Marrucine Asini, manu sinistra

Non

Non belle uteris in ioco, atq; vino:
 Tollis lintea negligentiorum.
 Hoc falsum esse putas? fugit te inepte.
 Quamuis sordida res, & inuenusta est.
 Non credis mihi? crede Pollioni
 Fratri, qui tua furta, vel talento
 Mutari velit: est enim leporum
 Disertus pater, ac facetiarum.
 Quare aut hendecasyllabos trecentos
 Expecta, aut mihi linteum remitte:
 Quod me non mouet aestimatione,
 Verum est $\mu\upsilon\eta\ \mu\acute{o}\sigma\upsilon\upsilon\upsilon\upsilon$ mei sodalis.
 Nam sudaria Setaba ex Iberis,
 Miserunt mihi muneri Fabullus,
 Et Verannius. Hac amem necesse est.
 Ut Veranniolum meum, & Fabullum.

Martialis de Hermogene fure ad Ponticum,
 lib. 12.

Hermogenes tantum mapparum, Pontice, fur est.
 Quantum nummorum vix, puto, Massa fuit.
 Tu licet obserues dextram, teneasq; sinistram,
 Inueniet, mappam qua ratione trahat.
 Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
 Casuras alte sic rapit iris aquas,
 Nuper cum Myrino peteretur missio laeso,
 Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
 Cretatam Prator cum vellet mittere mappam,
 Pratori mappam surripit Hermogenes.
 Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
 Mantile è mensa surripit Hermogenes.
 Hoc quoq; si deerit: medios distringere lectos,
 Mensarumq; pedes non timet Hermogenes,
 Quamuis non modico caleant spectacula sole,
 Vela reducuntur, cum venit Hermogenes.
 Festinant trepidi substringere carbasa nauta,
 Ad portum quoties paruit Hermogenes.
 Linigeri fugiunt calui, sic strataq; turbas:
 Inter adorantes cum stetit Hermogenes.

Ad cœnam Hermogenes mappam nõ attulit unquam,

A cœna semper rettulit Hermogenes.

Simile fecit Martialis in Luscum furem, lib. 8.

Aspicias hunc uno contentum lumine, cuius

Lippa sub attrita fronte lacuna patet?

Ne contemne caput, nihil est furacius illo.

Non fuit Autolyçi tam piceata manus.

Hunc tu conuiuam cautus vitare memento.

Tunc furit, atque oculo Luscius, utroq; videt.

Pocula solliciti perdunt, ligulasq; ministri,

Et latet in tepido plurima mappa sinu.

Lapsa nec à cubito subducere pallia nescit,

Et tectus lenis sæpè duabus abit:

Nec dormitantem vernam fraudare lucerna

Erubuit fallax, ardeat illa licet.

Si nihil inuasit, puerum tunc arte dolosa

Circuit, & soleas surripit ipse suas.

EXEMPLA DELIBERATIONIS.

Notum est illud Martialis ad Iulium, quem ætate grauem ad otium, voluptatemque horrtatur. lib. 1.

O mihi post nullos, Iuli memorande sodales,

Si quid longa fides, canaque iura valent.

Bis iam pane tibi consul trigesimus instat,

Et numerat paucos vix tua vita dies.

Non bene distuleris, videas, qua posse negari,

Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.

Expectant cura, catenatique labores,

Gaudia non remeant, sed fugitiua volant.

Hæc utraq; manu, complexuq; affere toto.

Sæpe fluent immo sic quoque lapsa sinu:

Non est, crede mihi sapientis dicere, viuam:

Sera nimis vita est crastina: viue hodie.

CONSOLATORIVM HOC EST

Leodegarii à Quercu Tomo 1. florum Epi-

grammatum, ex variis Poëtis.

Quid noctes miser eiulans, diesque,

Nil

Nil conuitia profutura fundis?
 Irato Lachesis laceſſis ore,
 Quod natam illa tibi abſtulit quadrimam,
 Argutam, docilem, venuſtulamque,
 Et quam præſidium ſubinde firmum
 Sperabas ſenio tuo futuram.
 An hoc ledere: an hoc vocas nocere,
 Pro terris Mariæ dediffe calum?
 Quin gaudes potius, Reralde, cum, quam,
 Mortalem genuiſſe credidiſti,
 Hanc factam videas repente diuam?

EXEMPLA EXORNATIONIS.

Catullus in Ciceronem.

Diſertiſſime Romuli nepotum
 Quot ſunt, quotq; fuere, Marce Tulli,
 Quotq; poſt alijs erunt in annis,
 Gratias tibi maximas, Catullus
 Agit peſſimus omnium poëta:
 Tanto peſſimus omnium poëta,
 Quanto tu optimus omnium patronus.

Martialis in Decianum lib. I.

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
 Quales Priſca fides fama q; nouit anus:
 Si quis Cecropia madidus Latiaq; Minerua
 Artibus, & vera ſimplicitate bonus:
 Si quis erit recti cuſtos, imitator honeſti,
 Et nihil arcano qui roget ore deos:
 Si quis erit magna ſubnixus robore mentis,
 Diſpeream ſi non hic Decianus erit.

Concinnum, & longe feſtiuiſſimum eſt hoc eiuf-
 dem Martial. de Catella Publii. lib. I.

Iſſa eſt paſſere nequior Catulli
 Iſſa eſt purior oſculo columbae.
 Iſſa eſt blandior omnibus puellis.
 Iſſa eſt carior Indicis lapillis.
 Iſſa eſt delicia catella Publii.
 Hanc tu, ſi queritur, loqui putabis.
 Sentit triſtitiãque gaudiumque.

Collo nixa cubat; capitq; somnos,
 Ut suspiria nulla sentiantur.
 Et desiderio coacta ventris,
 Guttâ pallia non fefellit vllâ:
 Sed blandopede suscitât, toroq;
 Deponi rogat & monet leuari.
 Castæ tantus inest pudor catellis.
 Ignorat Venerem; nec inuenimus
 Dignum tam tenera virum puella.
 Hanc ne lux rapiat suprema totam.
 Picta, Publius exprimit tabella.
 Inquat in similem videbis Issam,
 Ut sit tam similis sibi nec ipsa.
 Issam denique pone cum tabella,
 Aut utramq; putabis esse veram,
 Aut utramq; putabis esse pictam.

Nullum datur Epigramma, quod non aliqua
 parte tot, quot aitulumus diuisionum compre-
 hendetur. Nec absurdum existimes velim, vnum
 atque idem tam huius, quam, illius Generis ef-
 ficere speciem: id quippe fit ratione diuersa.

DE EPGRAMMATE IN QUO PA-
 ria paribus, & Contraria contrarijs
 referuntur.

Cicero in Orat. perfectæ cum de Numero ora-
 torio disputat, scribit esse quoddam genus
 verborum, in quibus ipsis concinnitas insit, &
 quæ suapte natura numerosa sint, etiamsi nihil
 est factum de industria. Ceterum genus illud esse
 triplex. Aut enim casus in exitu similes: vt pro
 Cælio. Non modo nihil ignoscendum, sed etiam acri-
 ter resistendum. Aut paria paribus reddi: vt in Sex-
 tiana Qui auctoritate, qui fide, qui constantia, qui
 magnitudine animi, consilijs audacium restiterunt, ij
 graues, ij principes, ij auctores, ij duces huius dignita-
 tis, atque imperij semper haberi sunt. Aut opponi
 Contraria: qua exornatio, Græce *ἀντιθέσις*, Lati-
 nè contentio, & contrapositum. Fit autem diuer-
 sis

sis modis. Nam & singula singulis opponuntur, ut; *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Bina binis: ut; *Non nostri ingenij, vestri auxilij.* Pluribus plura. Pro Milone. *Est enim, iudices, hæc non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus.* Omisso primo genere huius concinnitatis, quæ hic nullum locum habet, nisi in Ethicis, videamus quam pulcre Secundum, & Tertium in Epigrammata conueniant. Quæ proinde concinna fieri, & dici certissimum est. Paria paribus referuntur in his, quæ in Appendice Virgiliana leguntur de morte trium.

Sus, iuuenis, serpens, casum venere sub unum,

Sus iacet ex ictu, pede serpens, ille veneno.

Anguis, aper, iuuenis pereunt, ille vi, vulnere, morsu,

Hic fremit, ille gemit, sibilat hic moriens.

Sus, serpens, iuuenis pariter periere vicissim:

Dente perit iuuenis, serpens pede, porcus ab ictu.

Eiusdem classis est hoc in Virgil.

Pastor, arator, eques, pansi, colui, superavi,

Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Felici conatu hoc imitatus est Matthæus Toscanus In suis Poëmatis, loquens de Petro Bembo.

Historicus, vates, rhetor, celebrat, canit, implet,

Gesta, ignes, aures, ore, lyra, eloquio.

Exemplum vbi Singula singulis opponuntur, Tos. tom. 1. in Christum crucifixum.

Pro seruis Dominus moritur, pro fontibus insons,

Pro agrato medicus, pro grege pastor obit.

Pro populo rex mactatur, pro milite ductor,

Proq; opere ipse opifex, proq; homine ipse Deus.

Quid seruis, quid sons, agratus, grex, populusq;

Quid miles, quid opus, quidue homo soluet? amet.

Conclusio huius pulcherrimi, & religiosissimi Epigrammatis habet receptionem, *ἡμεῖς ἡμῶν*

συναδποισ μὲν, subiectionem.

DE

I N S T I T V T I O
D E E P I G R A M M A T E D I A -
logico.

C A P V T L I.

Dialogum conficere, cum propter alia, tum propter decorum personarum loquentium est laboriosum: propterea quod nisi prudentissimus & experientissimus videre non potest, quando, quantum, quibus verbis, quomodo vnumquemq; loqui, & quibus moribus præditum esse oporteat. In omnibus, & singulis separatim τὸ πρῶτον cernitur.

E X E M P L A E P I G R A M M A T I S
Dialogici.

Aufonii dialogus in simulacrum Occasionis & Pœnitentiæ.

*Cuius opusè Phidia, qui signum Pallados, eius,
Quiq; Iouem fecit, tertia palma ego sum.*

Sum Dea, qua rara, & paucis Occasio nota.

Quid rotula insistis? stare loco nequeo.

*Quid talaria habes? volueris sum: Mercurius qua
Fortunare solet, tardo ego, cum volui.*

*Crine tegis faciem. Cognosci nolo, sed heus tu,
Occipiti caluo es. Ne tenear fugiens.*

*Quæ tibi innēta comes? dicat tibi, dic rogo qua fis?
Sum dea cui nomen, nec Cicero ipse dedit.*

*Sum Dea, qua facti, non factique exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat, sic Metanea vocor.*

*Tu modo dic, quid agat tecum? Si quando volavi,
Hæc manet: hanc retinent, quos ego præterij:*

*Tu quoq; dum rogitas, dum percunētando moraris,
Elapsum dices me tibi de manibus.*

D I A L O G V S I N I V S T I T I A M.

*Quæ Dea? Iustitia. Quid toruo lumine? flecti
Nescia sum & lacrymis & pretio, & precibus.*

*Quod genus? à Superis ex quo genitore? Modo. Ecqua
Matre? Fide. Nutrix qua tua? Pauperies.*

Quis

Quis deus infantem fouit? Prudentia, Quonam
 Freta duce agnoscis crimina? Iudicio.
 Cur gladium tua dextra gerit? cur laeva bilancem?
 Ponderat hæc caussas, percutit ille reos.
 Quid rari assistunt? Quod copia rara bonorum est.
 Quæ comes assidua est? candida simplicitas.
 Aurium aperta tibi cur altera & altera clausa est?
 Hæc surda iniustis, panditur illa bonis.
 Paupere cur semper cultu? iustissimus esse
 Qui cupit, exiguas semper habebit opes.

DIALOGVS IN VENEREM
 & cupidinem.

Dic, age, quæ fiat, dulcissime nate Cupido,
 Omnes cum timeant numinis arma tui.
 Humanumq; genus, manes, Erebiq;e profundi,
 Sollicitent superos, & simul illa Deos,
 Sola tamen doctis quæ præsidet artibus, omne
 Effugit imperium, casta Minerva, tuum?
 Si meminisse potes, moderator Iupiter orbis
 Ipse tuas sensit captus amore faces.
 Sensit & æquoreis Neptunus victus in undis,
 Iunoque furtiuo sæpe reperta toro.
 Ut taceam reliquos, & tu quoq; nate parentem
 Iure pudicitia me violare iubes.
 An igitur solam quo Pallada vincere possis.
 Exinctus nullam vim tuus ignis habet?

Cupido.

Desine, diua Parens, mirari, & quarere causas,
 Haud mea quod nequeant tela ferire Deam.
 Cumq; potestati sint omnia subdita nostra,
 Sola meas spernat cur tamen illa faces.
 Hanc equidem valde metuo cum lumine tantum
 Aspicit, aut vultu me truculenta notat.
 Assumptis illam vero quandoq; sagittis
 Aggressus temerè nocte silente fui;
 Celauiq; meum perplexis artibus ignem,
 Successu veritus posse carere dolos.

D 7

N 4

Nemo sed occultum quantumvis celat amorem,
 Ipse ego sum semper proditus igne meo.
 Insidias igitur nostras ubi sensit aperte,
 Procinus hac tanquam pulsus ab hoste fui.
 Nam galeam quoties, hastam vibratq; trementem:
 Non leuis illa mihi causa pavoris abest.

Venus.

Siste puer tales oro proferre querelas,
 Hosque tuo vanos excute corde metus.
 Marte quid asperius fuit, aut quid durius olim,
 Succubuit regnis trux tamen ille tuus.
 Qui prius indom. us tibi bella necemq; paravit,
 Sæpe dedit victas, in tua vincla manus.

Cupido.

At Mars, cara parens, nobis se dedidit ultro,
 Nec quidquam nostrum ferre grauatur onus.
 Improbæ sed quoties Pallas me conspicit, illa,
 Dij, quas commoto non iacit ore minas?
 Quam gerit horrendam magna vi corripit hastam:
 Taliaque infando dicta dolore refert:
 Ne mihi tela puer, mihine, puer, arma mineris,
 Erras haudquaquam nos tua turba sumus.
 Si temere accedes, nec me finis esse quietam,
 Crede mihi, puero sat tibi fortis ero,
 Aut ego præcipitem te nunc ad tartara mittam,
 Aut tibi perfodiet lancea nostra latus.
 Hoc pater ipse mihi cuius sum verice nata,
 Iuppiter hoc diuûm Rex mihi testis erit.
 Hæc simul ut dicit, totus miser ecce tremisco,
 Ex manibus subito tela facesq; cadunt.
 Nescio quid faciam, laedendi nulla facultas,
 Aut vis turbato nulla relicta mihi est.
 Ladere nec cupio, quin hoc miser opto, precorque,
 Hinc ut ego solum saluus abire queam.
 Præterea anguicomæ gestat caput illa Medusa,
 Cuius ad aspectum lumina nostra paurent.
 Hoc ubi præterdit, fugio ceu cerua leonem.
 Aut fugit infestum territa dama lupum.

Venus.

Venus.

Et metuis Diuam tu territus agide tantum?
 Magnanimi cures cum Iouis arma nihil.
 Hoc quodque contemnunt, dic, cur tua spicula Musæ
 Et fugit imperium turba nouena tuum?
 Num galeas vibrant etiam, aut hastilia torquent,
 Aut fera prætendunt Gorgonis ora tibi?

Cupido.

Aonides vultu sunt, mater cara: pudico,
 Unice & istarum numina sacra colo:
 Et quoniam semper studijs retinentur honestis,
 Iuris in hæc planè nil meus ignis hæret.
 Inuigilant cantu, molles ducuntq; choreas,
 Luxuria semper desidysq; vacant.
 Quin ego nonnunquam vocis dulcedine captus,
 His iungo socium me comitemq; Deis.

Venus.

Esto quod Aonides vultu sint, Nate, pudicos
 Unice & istarum numina sacra colas:
 Ipsa tuis autem cur non est fixa sagittis,
 Castaq; perpetuò virgo Diana manet?

Cupido.

Hanc nunquam fateor, Mater deprendere possum
 Conatus omnes effugit illa meos.
 Improba perpetuò Dea montibus errat in altis,
 Oblectat castis seq; cupidinibus.
 Venatrix eterim siluas, saltusq; fatigat,
 Et gelidis figet retia tensa iugis.
 Talia sunt olim Matri quæ dicta Cupido,
 Respondens tenero reddidit ore sua.
 At Venus ut sperni tantum sua numina sensit,
 In patriam tristis cæpit abire Paphum.
 Nunc ubi cum nato castis neglecta Deabus
 Mæret, & Aonijs est inimica choris.
 Ergo si quis erit stulto deceptus amore
 Qui vacuum vitijs pectus habere volet,
 Optabitq; graues vitare cupidinis arcus,
 Armigeram colat hic Pallada, tutus erit:

Con-

*Conciliet q̄ sibi dulces ante omnia Musas,
At fugiat monitis otia cuncta meis.*

*Sic ullis unquam rebus, sic tempore nullo
Iuris in hunc aliquid prorsus habebit Amor.*

D E E C H O N E.

CAPVT. XXVIII.

PERIUCUNDUM, argutum, & lepidum est Epigramma, attentumq; retinet lectorem, cum in Fine aut medio versus eiusmodi vocula ponitur, quæ vel toti verbo præcedenti, vel eius similis caudæ, aut eandem sententiam illustrat, aut diuersum aliquid, & nonnunquam contrarium, aut prorsus inexpectatum, aut par, aut maius, aut minus deniq; complectitur. Hæc Echo dicitur. Multæ interrogationes in Echicis vsurpantur, quamuis etiam sine interrogatione suam venustatem retineant. Nec opus est, omnes & singulos versiculos Echonem suam habere: sed tum illa respondebit, cum sensus absoluitur, & sententia finitur; siue id in Medio, siue in extremo Versus, siue Vtrobique simul fiat, Non oportet autem diu differre istam repercussionem vocis, quia deformitatem generat dilatio: sicut frequentia ornamentum. Præterea non adeo semper numerosi esse possunt Echici: possuntq; euadere Leonini sine vilo vitio: quia ingenium, & lepos, qui est in rebus, quam concinnitas, quæ est in verbis, aut aliud quippiam, magis hic spectatur. Melius etiam Echo fit in dissyllabis, quam in Trisyllabis aut Monosyllabis. Quoniam ad naturam rei illa imitatione quam ista propius accedimus.

Littera Auentinus prima priuetur honore:

Seruabit reliquum quid sibi Cacus? Acus.

COLLOQVIVM BETHLEHEMITÆ
Pastoris & Echus, cui Poëta sua
verba interponit.

*Hac Bethlehemitæ Pastoris verba referre,
Audita est Echo, quæ iuga montis habet.*

Quæ

Quis natus? dixit, NATVS. patrisne Iudai?
Ille, DEI. Verusne est homo? dixit, HOMO.
Atq; hic idem, nonne Deus remanet? MANET.
Estne

Ut Pater omnipotens? rettulit illa, POTENS.
Hunc quid de calis duxit? LIS DVXIT. at istam,
Dic utrum vince? VINCET, & ipsa refert.
Litis erat radix longæua? EVA, an mala: MALA,
Annè gula hoc potuit? illa refert, POTVIT.
An puer hic fiet magnus? quæ reddidit, AGNVS.
Ipse ait hoc? AIT HOC. Cur ita clamat? AMAT.
Is maius nostro nunquid dare possit Mori?
Reddidit illa nihil, quàm gemebunda, MORI.
Hoc faciet? FACIET. moriens? ORIENS. Deus ille?
Hæc, ILLE, est forsã causa tua? AVSA TVA.
Diligere hunc ergo, par est, super omnia Christum?
ISTVM, nonne Deum? Dixit, EVM, & tacuit.

VIATORIS ET ECHVS.

V. Quæ solos nemorum colis recessus,
Conuallesq; cauis iocosa imago,
Nunquid suauiculis dicata Musis
Modis omnibus expetenda vita est?
E. ITA EST. V. Si comitetur alma virtus,
Illis an pretium satis sit vllum?
E. NVLLVM V. Sed quid obeſt eis frequenter?
E. VENTER. V. O vtinam greges inertum
Ad cornos abeant! E. EANT. V. honori
Doſtorum faueamus ac proborum.
E. HORVM. V. Iſti imperium regant & orbem,
At vos improbi, & artium imperiti,
Humanae ſcabies pudorq; gentis
Plorate, aſidueq; dicite heu. E. HEV.

ECHO DE PACE.

Dic mihi qua gelidis habitas conuallibus ECHO.
Cur populus pacem ſic modo clamat? AMAT.
Ad diuam pacem precibus concurritur? ITVR.
Ut damnum fugiat triſte colonus? ONVS,

Ruſti-

Rusticus ergo iterum campos reparabit? ARABIT.

Et tuto curret remige nauita? ITA.

Omniaq; euenient in mundo prospera? SPERA.

Largaq; nec rerum copia deerit? ERIT.

Siretulisti Echo mihi vera valet. VALETO.

Donec nostra iterum verba nouabis. ABIS.

Licet interdum mutare literã, aut syllabam ini-
rio, aut medio verbi: nam Finis in Echone semper
similis requiritur. Item addere, aut tollere aspira-
tionem, vt si pro Sacer, dicas, Lacer; Pro Senex,
Remex; pro Mastus, Festus; pro Abeat, Habeat.
Quamobrem n. ale reprehenderentur hæ Ima-
gines. Albertusne iacet? tacet. Quæ causa obitus?
Pus. Religio amisit Patronum? Bonum. Hæreticos
oderat? Poterat. Anne huic par vllus? Nullus. In
simili sono vocalium extremarum posita est E-
cho: illæ enim solæ fonant, & Echo sonus est, non
in similitudine consonantium quoque, quæ tan-
tum consonant, non soni naturam, substantiamq;
mutant.

DE EMBLEMATE.

CAPVT LIII.

EMblema dicitur *παρὰ τὸ ἐμβάλλεσθαι*, quod
valet immittere, iniicere, interponere, infere-
re. Vocantur autem Emblemata lapilli colorati, &
minute secti, gemmæ, clauiculi, parua ex auro,
argento ve rerũ diuersarum effigies, & similia quæ
pauimento, parieti, vasculis, vestibus, poculis, pi-
leis, clypeis, gladijs, in morem torulorum, pro
ornamento affiguntur, inciduntur, insculpuntur.
Sciendum porro, talia opera in pariete Vermi-
culata, in pauimento Tessellata, in lignis Seg-
mentata dici, Hoc autem loco carmina, seu Epi-
grammata ipsa huiusmodi *ἄγαλματα*, symbola,
simulacra, & imagines rerum aliquid significan-
tes interpretantia, Emblemata vocamus, *μετα-
υμικῶς*: vt nobis nihil aliud sit Emblemata, quam
Epi-

Epigramma quod Emblemata complectitur. Iam vero Emblemata tria continent; Epigraphen, veluti rei totius animam Picturam, & Poësin, artes germanas, quæ se ita explicent, ut altera alteri sit interpret. Et pictura quidem, tanquam corpus, Poësis tanquam animus est: fitq; ut Emblemata non possint non esse gratum, in quo & aures dulci carminum numero delectantur, animi pascuntur, & oculi pictura recreantur. Tria maxime statuenda Emblematum genera. Nam quæ rerum naturas, & causas aperiunt, Physica sunt. Quæ rem olim gestam, aut quasi gestam, ut fœdulam includunt, Historica. seu Mythologica. Demum quæ ad mores pertinent, quæ innumera sunt, in Ethicis habentur.

DVÆ PRIMARIÆ VIRTUTES Epigrammatis, Argutia, & Brevitas.

C A P V T L I V.

Dvo præcipuè lumina flagitat Epigramma, quibus ornatur, commendaturq; mirificè: ea sunt Brevitas, & argutia: quarum posterior iure optimo anima, vita, & tanquam spiritus eius, nervi, succus, sanguis vocari potest: qua destitutum, velut egrum languet, friget, & quasi intermoritur. Quod si vel sola affuerit, ut alia desiderentur, probabitur tamen. Generatur autem acumen istud cum aliis modis, tum hoc frequenter, si Conclusio aut non expectata (quod Græci dicunt *παροξωμοδοξίαν*) aut expectationi planè contraria sequitur. Catullus Furii paupertatem virgens, sicut antè viderat, ait villulam, quæ ei, ut verisimile, est, vnica remanserat, non eò incommodam esse, quòd ad huius aut illius venti flatum opponeretur: sed (quod vento omni deterius) quod opposita esset pignori pro tanta pecunia, ut nihil iam sit, cur eam Furius suam dicere debeat. Ludit autem in ambiguitate vocabuli, opposita, Hoc modo.

Furii

*Furi, villula vestra non ad Austri
 Flatus opposita est, nec ad Fauoni.
 Nec sani Borea aut Apeliota:
 Verum ad millia quindecim ducenta,
 O ventum horribilem atq; pestilentem!*
**Facetum illud Martialis, de Selio Coenipeta
 ad Rufum.**

*Quod fronte Selium nabila vides Rufe,
 Quod ambulator porticum terit serus,
 Eugubre quiddam quod tacet piger vultus,
 Quod panem terram tangit indecens nasus,
 Et dextra pectus pulsat, & comam vellit:
 Non ille amici fata luget, aut fratris,
 Vterq; natus viuit, & precor viuat:
 Salua est & vxor, sarcinaq; seruiq;
 Nihil colonus, villicusq; decoxit:
 Mæroris igitur causa quæ? domi cœnat.*

Lib. 3. Interrogat Musam complusculis ver-
 sibus, quid agat Canius Rufus. Enumerat pluri-
 ma, quæ agere ille potest. Musa ad extremum re-
 spondet, illum nihil agere aliud, quam ridere.

*Dic Musa quid agat Canius meus Rufus?
 Vtrumne chartis tradit ille victuris,
 Legenda temporum acta Claudianorum?
 An quæ Neroni falsus adstruit scriptor?
 An emulatur improbi iocos Thædri?
 Lascius elegis, an seuerus herois?
 An in cothurnis horridus Sophocleis,
 An otiosus in schola Poëtarum,
 Lepore rinctos Attico sales narrat?
 Hinc si recessit, porticum terit templi.
 An spacia carpit lentus Argonautarum?
 An delicata sole rursus Europa
 Inter repentes post meridiem buxos
 Sedet, ambulatue liber acribus curis?
 Stertitue, thermis an lauatur Agrippa?
 An impudici balneo Tigillini?
 An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
 An Pollionis dulce currit ad Quartum?*

An-

*An estuantes iam profectus ad Baias,
Tiger Lucrino nauiculatur in stagno?
Vis scire quid agat Canius tuus? ridet.*

Et vnicum carmen, siue Monostichon, Epigramma est: vt apud Martialem in Cinnam lib. 8.

Tauper videri Cinna vult, & est pauper.

Et plurima Disticha, quibus aliqua sententia perfecta explicatur, Epigramma dicuntur. Veruntamen illud fugiendum, ne currente rota pro vreo exeat amphora: ne, inquam, fiat Elegia, aut promissum carmen. Et quoniam vox ipsa Inscriptionem Latinis sonat, Inscriptiones autem paucis plerumque verbis finiuntur, credamus id optimum fore, quod breuissimum.

DE SVAVITATE, ET ALIIS

Epigram. Ornamentis.

C A P V T LV.

INter quosdam eruditos de carminum suauitate contentionem subortam commemorat A. Gellius lib. 19. cap. 9. Cum ibi Græcos nonnulli extollerent, & Latinos tam fluentes Carminum delicias fecisse negarent, Antonius Iulianus Rhetor florentis facundiæ & rerum literarumq; veterum peritus docuit. Latinos nihil Græcis concedere, & extemplo quatuor Epigrammata ex memoria recitauit, Valerii Aeditui, Porcii Licinii, Q. Catuli, quibus, vt sentit Gellius mundius, venustius, limatius, pressius, Græcum Latinumve nihil quiddam reperitur. Fatendum est tamen vel inuito, sæpius licere Græcis, quam nobis esse dulcibus. Principio, quæ res sua natura vim aliquam ad sensus demulcendos, oblectandasque mentes obtinent, ex iis suauitas in oratione existit. Tales exempli causa, sunt amœnitas hortorum, species arborum virentium, flores, leni murmure labentes riuuli, stellæ, lux, cantus musici, citharæ, tibarum, chori, & tripudia, amplexus, oscula honesta, inquam, & legitima, Reddunt iucundam orationem

NCM

nem Epigrammatis Allocutiones illæ, quibus
Poëtæ seipſos compellant. Catullus ad ſemet de
aduentu veris.

*Iam ver egelidos refert tepores,
Iam cæli furor æquinoctialis,
Iucundis Zephyri ſileſcit auris:
Linguantur Thygy, Catulle, campi,
Niceæq; ager vber æſtuosa,
Ad claras Aſiæ volemus vrbes.
Iam mens prætrepidans auet vagari.
Iam læti ſtudio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longè quos ſimul à domo profectos,
Diuerſos varia via reportant.*

Idem ad ſeipſum.

*Mifer Catulle, deſinas ineptire,
Et quod vides periſſe perditum ducas.
Fulſere quondam candidi tibi ſoles,
Cum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis quantum amabitur nulla:
Ibi illa multa tum iocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulſere verè candidi tibi ſoles:
Nunc iam illa non vult, tu quoq; impotens eſto,
Nec, quæ fugit, ſectare: nec miſer viue:
Sed obſtinata mente perfer, obdura.
Vale puella: iam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit inuitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulli.
Sceleſta quæ nunc, quæ tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? cui videberis bella?
Quem nunc amabis? cuius eſſe dicèris?
Quem nunc amabis? cui labella mordebis?*

Martialis lib. 10. ad ſeipſum.

*Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parva labore, ſed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis:
Lis nunquam, toga rara, mens quieta:*

Virg

*Vires ingenua, salubre corpus:
 Prudens simplicitas, pares amici:
 Conuictus facilis, sine arte mensa:
 Nox non ebria, sed soluta curis:
 Non tristis torus, attamen pudicus:
 Somnus, qui faciat breues tenebras:
 Quod sis esse velis, nihilq; malis:
 Summum nec metuas diem, nec optes.*

Dulcis est Apostrophe, siue ad Diuum aliquem,
 siue ad hominem, idque aut in Medio, aut in Ex-
 tremo. In Extremo: vt Epigram. Catulli.

O dulces comitum valete cœtus, &c.

In Medio, vt illo, quod scripsi in annales Vo-
 lufij.

*Nunc, ô caruleo, creata ponto,
 Quæ sanctum Idalium, Vorisq; apertos,
 Quæq; Ancona, Cnidumq; arundinosam
 Colis, quæq; Amathunta, quæq; Colchos,
 Quæq; Dyrrachium, Hadriae tabernam,
 Acceptum face, redditumq; votum,
 Si non inlepidum, neq; inuenustum est.
 At vos interea venite in ignem,
 Pleni rursus, & inficetiarum,
 Annales Volusi, cacata charta.*

Suauitatis gratia, sermo, & sensus affingitur
 brutis animantibus, siluis, fontibus, montibus,
 insulis, aliisque rebus animo vacantibus, quas
 etiam blandè affari concessum est. Lucillus cum
 auaro murem loquentem facit, & negantem
 sese cibum apud illum, sed hospitium tantum
 querere.

*Murem Asclepiades vt apud se vidit auarus,
 Mus, quid in æde facis, dixit, amice, mea?
 Mus blandè arridens, tolle, inquit, amice timorem,
 Hic ego non victum quero, sed hospitium.*

Martialis ad suum libellum toties sermonem
 conuertit. Apud Ausonium Danubius alloquitur
 Nilum, Loquitur enim captus à cane marino
 lepus.

*Trinacriꝝ quondam currentem in littoris ora,
Ante canes leporem caruleus rapuit.*

*At lepus: in me omnis terra, pelagiqꝫ rapina est,
Forſitan & cali ſi canis aſtra tenet.*

*Toſ. tom. 2 elegans eſt querimonia anſeris,
quem ab arbore ſuſpenſum iaculis Romani pete-
bant.*

*Quid benefacta iuuant, quid vos ſeruafſe Quirites,
Et Capitolini templa ſuperba Iouis?*

*Et iaculis ſumma pendens ex arbore veſtris,
Poſtmodo victori prada futura petor.*

*Ergo non aliam tanta feritate decebat,
Quam veſtri altricem ſanguinis eſſe lupam.*

*Venuſtè Catullus ad verſiculos, quos Cæci-
lium accerſitum mittit.*

Poëta tenero, meo ſodali,

Velim Cæcilio, papyre dicas,

Veronem veniat Noui relinquens

Comi mœnia, Latiumqꝫ litus:

Nam quaſdam volo cogitationes

Amici accipiat ſui, mei qꝫ.

Quare, ſi ſapient, viam vorabit.

Quamuis candida millies puella

Euntem reuocet, manuſqꝫ collo

Ambas injiciens roget morari:

Quæ nunc, ſi mihi vera nunciantur,

Illum deperit impotente amore.

Nam quo tempore legit inchoatam

Dindymi dominam, ex eo miſella

Ignes interiorem edunt medullam.

Ignosco tibi, Sapphica puella,

Muſa doctior: eſt enim venuſtè

Magna Cæcilio inchoata mater.

*Et alio loco ad Hendecaſyllabos quàm le-
pidè?*

Adeſte Hendecaſyllabi, quot eſtis

Omnes undique: quotquot eſtis omnes, &c.

*Item ad Sirmionem inſulam in agro Veronenſi,
vbi poſſeſſiones habebat, reuerſus eſt Bithynia.*

Peninſu-

*Peninsularum Sirmio, insularumque
 Ocelle, quas cunq; in liquentibus stagnis,
 Mariq; vasto fert uterque Neptunus,
 Quam te libenter, quamq; letus inuiso,
 Vix mi ipse credens Thyniam, atq; Bithynos
 Liquisse campos & videre te intuto.
 O quid solutis est beatius curis?
 Cum mens onus reponit, ac peregrino
 Labore fessi venimus Larem ad nostrum,
 Desideratoq; acquiescimus lecto.
 Hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
 Salve, o venusta Sirmio, atq; hero gvide:
 Gaudete vosq; Lydia lacus unda.
 Ridete quidquid est domi cachinnorum.*

Peruenustum iudicatur Epigramma, in quo
 est aliquid eruditionis non vulgaris: seu in quo
 aliquid antiqui moris, ac ritus attingitur, vt in
 illo Catulli ad puerum suum, in quo duas con-
 suetudines aperit: Vnam poscendi maioribus,
 & meracioribus poculis vetustioris vini, in quo a-
 marus quidam sapor sentitur: quæ consuetudo à
 Græcis procedente conuiuio tenebatur, & ab illis
 orta fuerat: Alteram, creandi in conuiujs talorum
 iactu vnum aliquem, qui præscriberet, quantum
 quisque & quomodo temperatum biberet. Græci
συμποσίαρχον, & βασιλέα Horatius bibendi Ar-
 bitrum, Varro Modiperatorem, Cicer. de senect.
 Magistrum, Macrob. Regem mensæ; rem & po-
 testatem ipsam. Magisterium, Horatius Regnum
 vini, Græci *δοχιποσίαν* appellant.

*Minister vetuli puer Falerni,
 Infer mi calices amariores,
 Ut lex Posthumia iubet magistra,
 Ebriosa acino ebriosioris.
 At vos quo lubet, hinc abite lymphæ
 Vini pernicies, & ad seueros
 Migrate, hic merus est Thyonianus.*

Primum versum Catullus sæpè postremo loco
 iterat, vt ad seipsum, de Struma, & Vatinio.

E

Quid

Quid est Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum peierat Vatinius,

Quid est Catulle, quod moraris emori?

In annales Volusii similiter,
Annales Volusi, cacata charta,

Votum soluite pro mea puella:

Nam sanctè Veneri, Cupidiniq̃

Vouit, si sibi restitutus essem,

Desissemq̃ truces vibrare iambos,

Electissima pessimi Poëtæ

Scripta tardipedi Deo daturam

Infelicibus vstulanda lignis.

Et hoc pessima se puella vidit

Iocose, & lepidè vouere diuis.

Nunc, ô caruleo creata ponto, &c.

Et Marcialis ad librum suum Epigram. vltimo

lib. 4.

Ohe iam satis est, Ohe libelle:

Iam peruenimus usq̃ ad umbilicos,

Tu procedere adhuc, & ire quæris:

Nec summa potes in sceda teneri.

Sic tanquam tibi res peracta non sit,

Quæ prima quaq̃ pagina peracta est.

Iam lector queriturq̃ deficitque:

Iam librarius hoc & ipse dicit.

Ohe iam satis est, ohe libelle.

Libenter etiam, ac sæpè claudit exclamatione,

vt in luctu passeris.

Lugete, ô Veneres, Cupidinesq̃,

Et quantum est hominum venustiorum.

Passer mortuus est mea puella:

Quem plus illa oculis suis amabat:

Nam mellitus erat, suamq̃ norat

Ipsam tam bene quam puella matrem:

Nec sese à gremio illius mouebat:

Sed circumfiliens modo huc, modo illuc.

Ad solam dominam usque pippiebat,

Qui nunc it per iter tenebricosum,

Illuc.

Illuc, unde negant redire quemquam:
 At vobis male sit mala tenebra
 Orci, quæ omnia bella decuratis:
 Tam bellum mihi passerem abstulistis.
 O factum male, o misselle passer,
 Tua nunc opera mea puella
 Flendo turgiduli rubent ocelli.

Et ad Veranium.

Veranni, omnibus è meis amicis,
 Antistes mihi millibus trecentis,
 Venistine domum ad tuos penetras,
 Fratresque unanimes, tuamq; matrem?
 Venisti. O mihi nuntij beati!
 Visam te incolumem, audiamque Iberum
 Narrantem loca facta, nationes,
 Ut mos est tuus, applicansq; collum,
 Lucundum os, oculosque suaviabor.
 O quantum est hominum beatorum.
 Quid me latius est, beatusve?

Et in Furium.

Furi, villula vestra non ad Austri
 Flatus opposita est, nec ad Fauoni,
 Nec saui Borea, aut Apeliota,
 Verum ad milia quindecim, & ducenta.
 O Ventum horribilem, atq; pestilentem.

Et in Acmen.

Salve, nec minimo puella naso,
 Nec bello pede, nec nigris ocellis,
 Nec longis digitis, nec ore sicco,
 Nec sane nimis elegante lingua.
 Decoctoris amica Formiani,
 Ten' prouincia narrat esse bellam;
 Tecum Lesbia nostra comparatur?
 O sectum insipiens, & infacetum.
 Gaudet etiam ab eadem particula, O, exordiri.
 O Colonia, quem cupis ponte ludere longo.
 O qui flosculus es luventiorum,
 O surum optime balneariorum.

E 2

O funda

*O funde noster, seu Sabine, seu Tiburse
O rem ridiculam, Cato & iocosam.*

Ut omnes versus ab eadem voce inchoari, sic in eandem aut easdem pulchre possunt desinere, aut omnes, aut alterni, figura quæ Conuersio dicitur. Pulcrum sane & illud, in quo magnus animi motus, magnave & vehemens affectio cernitur, exprimiturque. nempe aut mœror, aut dolor, aut pietas, aut amor, aut commiseratio.

Quale est illud Aufonii in Didonem.
*Infelix Dido, nu^m bene nupta marito,
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris,
Et hoc elegantissimum Phaleucium incerto auctore.*

*Ablatus mihi Crispus est, amici,
Pro quo si precium dari liceret,
Nostros diuiderem libenter annos:
Nunc pars optima me mei reliquit
Crispus, præsidium meum, voluptas,
Pectus, delicia: nihil sine illo
Latum mens mea iam putabit esse
Consumptus male debilisque viuam:
Plus quam dimidium mei recessit.*

Superest Energia, Cicero Euidentiã nominat, quæ rem subiicit sub oculos, & eius formam quasi pingit: Ea partim sita est in Verbis, partim in rebus. Exemplum esse poterit Martialis, in Mutium Scæuolam lib. i. Prouidendum tamen, ne cum hanc virtutem consectamur, inani sonitu verborum turgescat oratio.

*Dum peteret regem decepta satellite dextra,
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam saua prius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior decepta fama est & gloria dextræ,
Si non errasset, fecerat illa minus.*

D E

POETICA. 101
DE SCITA CONCLVSIONE
Epigrammatis.

ET si totum Epigramma compositum, festiuum, artificio quodam, & expolitione distinctum, & ingeniosum esse debet, tamen ipse terminus eius præcipuo quodam artificio illuminatus sit oportet, talisq; prorsus, qui vel acumine, vel pondere, vel lepore, vel nouitate, vel alia quapiam illecebra legentium mentes, sensusq; commoueat. Adiuuant hic plurimum Exclamationes, Interrogationes rhetoricæ, Epiphonemata amaræ Concessionis, quæ à quibusdam dicuntur Ironiæ, cum formis sibi subiectis, Inexpectato & sententiose dicta, Apostrophæ, & similes festiuitates, quas subiecta exempla partem aliquam docebunt Mart. de Gellia lib. I.

*Amissum non flet cum sola est Gellia patrem:
Si quis adest, iussa prosiliunt lacryma:
Non lugeat quisquis laudari, Gellia, querit:
Ille dolet vere, qui sine teste dolet.*

Eiusdem ad Catonem, lib. I.

*Nosces idcirco dulce cum sacrum Flore,
Festisq; lusus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum, Cato seuerè, venisti?
Ideone tantum veneras ut exires?*

In Portiam Bruti vxorem, lib. I.

*Coniugis audisset fatum cum Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram satis hoc vos docuisse patrem,
Dixit, & ardentes, auido bibit ore favillas.
I nunc & ferrum turba molesta nega.*

De Gemello, & Maronilla ibidem.

*Petit Gemellus nuptias Maronilla,
Et cupit, & instat, & precatur, & donat.
Adeone pulcra est: immo sædius nil est.
Quid ergo in illa appetitur, & placet, rursus.*

Ausonii quoddam est de vxore Zelotypa, ve-

veno argentum viuum miscente, vt citius vi-
rum tolleret. quæ tamen hominem purgarunt,
potius.

*Toxica Zelotypo dedit uxor mæcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum.*

*Miscuit argenti letalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.*

*Diuidat hæc si quis, faciunt discreta venenum:
Antidotum sumet qui sociala bibet.*

*Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit letalis noxa salutiferæ:*

*Protinus & vacuo alui petiere recessu,
Lubrica deiectis qua via nota cibis.*

*Quam pia cura Deum! prodest crudelior uxor,
Et cum fata volunt, bina venena inuant.*

*Martialis lib. 4. de vipera electro inclusa.
Flemibus Heliadum ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram.*

*Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit victa repente gelu.*

*Ne tibi regali placeas Cleopatra sepulcro,
Vipera si tumulo nobiliore iacet.*

D E E P I T H A L A M I O.

C A P V T L V I.

EPithalamium carmen est, quo nuptiæ cele-
brantur: à Thalamo dictum. Est autem
γάλαμος, cubiculum nuptiale primo suo signi-
ficatu, παρὰ τὸ γάλειν ἄμα, quod est simul geni-
alem vitam agere. Hoc Poëmatis genus, est à Græ-
cis etiam γαμήλιον appellatum, hoc est, nuptiale;
γάμον enim nuptias dicunt. Eius carminis ar-
gumentum consistit è sponsi sponsæque desi-
derijs. Verùm illius aperte dices studia, curas,
celebritates cantionum, ludorum, armorum;
virginis gratia facta omnia. Huius autem ani-
mum tectis indicijs, conditis suspicionibus innu-
ere potius quam profiteberis. Expugnatum castis-
simum.

simum pectus pietate erga iuuenem tabescentem: cuius virtutes commemorando excitabis excusationem. Aliquando finges à Venere aut Cupidine vi coactam: quæ pridem eorum regnum contemptui habuisset. Secundo loco explicabuntur laudes vtriusque; à patria, genere animi studiis, corporis præstantia. Tertius bene ominabitur. Quartilasciua lususque est totius, alterutrum aut vtrumque blandè appellando; modestius virginem, haud modestissimè tamen obiiciendo quædam: puta prælii futuri metum, victoriam, è lacrymis risum, è spe lætitiã certam. Quinto loco sobolem pollicetur, vota facit, vaticinatur. Postrema pars exhortationem continet ad somnum quidè aliis, illis verò vigiliam. Thalamus ipse interea laudatur, aut sine laude pingitur, aut nuptæ vestis, aut *παιδός*, id est, velum tori maritalis, cuius obtentu sacra illa pudèntius peraguntur. Intermisscentur verò etiam ioci petulãtiores, quæ ab antiquis Fescennina carmina dicebantur, vel quòd è Fescennina vrbe translata, vel quòd Fascinum redolerent, quo vocabulo pudenda corporis pars intelligitur. Quod si in ipsa adhortatione laudare velis nuptias, tum exemplis ages ab historiis: tum naturalium rerum principia poteris aspergere. Alloquemur etiam per Epiphonemata Hymenæum: quem tanquam nuptiarum Deum per intercalares versus inuocant aliquando: nonnunquam in ipso statim carminis aditu.

EPITHALAMIVM IN NVPTIAS

Christi & Ecclesiæ, Auctore Iacobo

Pontano.

Iam nunc puniceos aurora induta colores,
 Per supera inuehitur roseo placidissima currus,
 Quam Thetidis vada salsa relinquens ore nitenti,
 Et rutilo sequitur radiorum fulgure Titan.
 Equora strata silent, abierunt nubila, venti

E. 4.

Murmur-

Murmura compressere, & spirant leniter aura,
 Ac tota insolitum mundi natura renidet.
 Nos pariter quicumq; humana stirpe creati,
 Latitij incedamus simul omnibus omnes,
 Eunctiq; caput nitidum benevolentibus herbis
 Ad cytharam in numerum quatiamus ter pede tor-
 ram.

Aeternus pater aetherij moderator olympi
 Equaua soboli thalamos concessit amatos.
 Filius ipse Dei, similis per cuncta parenti,
 Omnipotens ex omnipotenti, è fonte cadens fons,
 Immortali æuo suæ ima cum pace beatus,
 Fœdere perpetuo præstanti corpore sponsam
 Electam sibi deducet, propriamq; dicabit.
 Iam prodi noua nupta, sacer te cernere sponsus,
 Oscula libare, & dare collo brachia circum
 Immenso desiderio percussus anhelat.
 Surge, veni, dilecta, inquit, formosa columba,
 Iam septi apricis, pinguntur floribus horti,
 Lataq; frondifera protrudunt germina sylua.
 Surge, veni, delicta, inquit, formosa columba,
 Nulla in te macula, aut ruga, pulcerrima tota es,
 Sponsa sororq; mea es: cuius duo lumina stellis.
 Emula, defixere meo sub pectore vultus.
 O faciem ostende, & tua vox mihi verberet aures:
 Nam facies tibi pulcra, tibi dulcissima vox est.
 Surge, veni, dilecta veni formosa, columba.
 Contra autem sponsa hæc secum meditata reuoluit,
 Et teneros cantus diuino carmine fingit.
 Oscula dilectus mihi præbeat, oscula posco,
 Qualia nemo hominum dedit, aut dare quiuerit un-
 quam,
 Inijciatq; ambas nostris cervicibus vlnas:
 Namq; amo, nec flammæ poterit ceare meum cor
 Dilecto narrate meo, me quantus aduravi
 Ex nimis ardenti procedens æstus amore,
 Quæsiui quem carum habeo noctuq; diuq;
 Querere nec cessabo, mihi dum vita manebit,
 Ecquidem vidistis cuius languero amore?

O amor

O amor, ipse precor demonstra ubi sis, ubi pascas,
 Atque ubinam recubes. Tibi ego, mihi tute vicissim.
 Mi dilecte veni, ex te solo pendeo tota.
 Tu lux, tu vita es, tu spes fidissima solus.
 Progreditur noua nupta, it prae, sequiturq; manipulus
 Aligerum puerorum: ex his utring; prudenter
 Sustentant gemini sacram comitando puellam.
 Caetera turba comas lauro praecincta virenti
 Indulgent fidibus, violasque & lilia spargunt.
 Quacunq; incedit virgo, diffundit odorem
 Ambrosium, suauiq; aspectu sauciat omnes
 Quam circum saluunt Veneres, blandiq; lepores.
 Auricomi volitant per colla nitentia crines,
 Condecoratq; caput gemmis variata corona,
 Candidulum exornant baccata monilia pectus,
 Annulus in digito, sponsalia munera, fulget,
 Sirmate verrit humum rigidis palla aurea signis,
 Quid memorem vultum Reginae? utinam modo possim
 Aut Musis Andine tuis certare, tuisq;
 O generis nostri Princeps, dux inclyte vatum,
 Quo Smyrna & Colophon tantum latatur alumno,
 Ut si purpureasq; rosas, & lilia cana
 Mista quis inspiciat, talis color ora venustat,
 Tam speciosa, & suauae rubent mellita labella.
 Luciduli sub fronte micant ceu Phoebus ocelli.
 O nupta eximia, O sanctum ascensura cubile.
 Quo te connubio stabili sibi iungeret ipse
 Aequalis patri natus, de numine numen,
 Ad terras quondam excelsis delapsus olympo est.
 Inde tui causa perpeffus fanda, nefanda,
 Oppetijt tandem diram per vulnera mortem.
 Is nunc, cerne pius, & formosissimus vnus,
 Sentibus hirsutis compactum vertice sertum,
 Et phrygiam gestat chlamidem. Tum vulnera quinis
 Ostentans insuetis locis, cerne ut tibi totus
 Immineat. Nunc amplexus, nunc oscula mille
 Expecta, incensumq; nimis super omnia amorem.
 Gratantur caeli, solio pater exilit alto,
 Latitia, & fortunatum iubet esse Hymenaeum:

Plumigeri fratres, pictisq; exercitus alis,
 Talia veridico depronunt carmine fata.
 Quam pridem antiqui vates cecinere futuram,
 Hac est illa dies toti carissima mundo,
 Qua se terrenis nectunt caelestia, qua se
 Humanis sociant diuina, eterna caducis.
 Plaudamus socij, festa solemnia lucis
 Aduenere, suo iamconiunx ducitur Agno,
 Cui sese ut donanda viro bona sponsa parauit.
 O Virgo generosa & casto pectore, quis nunc
 Est sensus tibi, cum tanto dignatur honore
 Te Rex, quem pater est cunctorum immensa potestas?
 Te sibi delegit multis e millibus unam,
 Immunem labis, florentem aetate puellam.
 Quod reliquum, tanto sis obsequiosa marito,
 Neve tori violare fidem, pactumq; libido,
 Tamq; salutare te rumpere cogat amores.
 O quam te fecundam isthac connubia matrem
 Sunt factura olim! vastum cum leta per orbem
 Aspicias infinitas, tua gaudia, proles,
 Quas omnes niueo tua pascent ubera lacte,
 Ubera mellifluo semper distenta liquere.
 Te populi venerabuntur, magniq; dynasta,
 Quin Reges tua sceptrigeri vestigia lambent.

D E G E N E T H L I A C O S E U
 natalicio.

C A P V T L V I I .

Genethliaci duo sunt primaria capita: alterum
 à maioribus: alterum à spe ipsius infantis.
 Multa viriusque *ἀξιωματικῶς*. Neq; enim stemma-
 ta aut res gesta sine locis, in quibus amoenissima
 Poeseos diuerticula saepe reperiuntur, neq; res si-
 ne comparatione virtutum praeteritarum cum fu-
 turis: Etiam ab oraculis, & auguriis, & somniis
 parentum. Loci communes: dies, tempus, tem-
 poris partes, licet Auroram, Solem, Noctem,
 astra alloqui. Omnino verò Genium celebrabis:
 quippe nascentibus nobis suus cuique datur: Vn-
 de

de diés Natalicius idem qui Genialis. Plurima in
ore Lucina & Parca.

GENETHLIACVM FRANCISCO
D. Octauiani Fuggeri filio, auctore
Iacobo Pontano.

Q Vos ego vagitus, quas hic exaudio voces?
Quem puerum intueor? aut qua cunabula cerno?
Quis cubat hic infans? quem lactat sedula nutrix?
An tuus, Octaui, generoso è sanguine sanguis,
Quem sociata tibi felici sidere quoniam
Edidit optato coniunx lectissima partu?
Fortunati ambo, quibus hac indul: a voluptas,
Complecti teneros, dulcissima pignora, natos,
Caraque blandidulis interfere oscula dictis,
Atque olim seriem longam sperare nepotum,
Tam claros qui se exultent habuisse parentes:
Te patrem, Octaui, cuius se plurima virtus,
Attolens magis atque magis aquauit olympo:
Te matrem Mariam, multis pra millibus vnā,
Egregiam eximys à laudibus Heroïnen.
Nunc age purpureos circum cunabula flores,
Mollia nunc calathis fundamus lilia plenis,
Et puero, ut dignum est, faustumq; bonamq; precemur:
Parue puer, superum placeas ante omnia Regi:
Ille tuus semper custos fidissimus esto.
Ille tibi longum, si optabis, proroget auum,
Parue puer, pietas est prestantissima virtus,
Illa suum semper te consecretur alumnum,
Hanc pius ipse pater, pia mater & ipsa docebit.
Parue puer, quidquid tanges vertatur in aurum,
Et supra Crcefos opibus formaque nitenti,
Non sit qui tecum sese componere tentet.
Parue puer, sapiens, & dignus honoribus esto,
In te oculos atq; ora serant qua incesseris omnes.
Tandem ubi sessus eris calo nouus incola fias.

DE PANEGYRICO, ET ALIIS
quibusdam.

CAPVT LVIII.

Panegyricum est carmen laudatorium, quod dici consuevit apud multitudinem congregatam.

Eucharisticon gratiarum actiones continet.

Pædeuterion dicitur, quo Præceptoribus nostris gratias, institutionis nomine, agimus.

Enconiaſticon, & Epæneticon recensent laudes.

Apobaterion, est carmen, quo discedentes alicunde vtuntur.

Epibaterion est carmen, quo reditus longam post peregrinationem, aut diuturno postliminio in patriam celebratur.

Symbuleuticon, in deliberatione consistit, vt si bellum suscipiendum sit, dubiteturque faciendumne sit.

Protrepticon, est adhortatiuum, sub quo statuentur hæc tria:

Paræneticon seu Parangelmaticon, quod præcepta continet Sapientiæ.

Nutheticon, quod cuiuscunque modi completitur præceptiones.

Paramytheticon, quo aliquem consolamur, hoc est, ad animi compositionem, & tranquillitatem hortamur.

Proseucticon dicitur, quo petimus aliquid fieri aut esse.

Apeucticon est, quo aliquid non fieri, aut non esse petimus.

Soteria recepto duce aut exercitu incolumi sacrificabant: sicut & amico, aut patre, aut filio, aut marito restituta sanitate.

Eroticon, est amatorium, & animum propensum declarans.

Propempticon, poema est, quo prosequimur abeuntes

eūtes , vel votis , vel omnibus bonis. Sumemus autem argumentum à tempore, loco , officio , comitatu.

Apopempticon , peregrinationem cuiuspiam tractat.

Hodœporicon, id est, itinerarium, iter describit.

Amœbæum, per vices respondens alternis pari numero: & similibus versibus. Reciprocum seu alternum dici potest.

Ionicum seu Cinæpicum, Sotadicum, Fescenninum, sunt poemata impudica, mollia, nefandæque turpitudinis.

Diræ, carmen quo alijs sinistra imprecamur, Dirasque vltices in hostium caput euocamus. Huius votum omne in malis, monstris, morbis, supplicij s, exilijs, interitu.

Mimus, est poema quoduis genus actionis imitans ita, vt ridiculum faciat, Cicero tamen, Ethologos cum vocat à moribus, quos exprimerent, ridiculirationem non admiscuit. Sunt igitur duo genera, Morale, & Ridiculum. Mimicæ personæ dicuntur Planipedes, ob eam causam quod cothurno Tragici, socco autem Comœdi pedes induebant, ipsa autem nudis pedibus agebant.

Palinodia, carmen quo probra prius congesta encomijs commutamus, & quasi retractamus. Argumentum totum in laude pro congestis probris versatur. Eius ferunt Stesichorum inuentorem: qui cum Helenam versibus lacefferat, captus iccirco oculis, reuocauit sententiam editis contrario carmine laudibus: quapropter oculorum vsum ei aiunt restitutum. Negat in eo poematio verum esse, quod & ipse & alii scripserint, Helenam cum Paride Troiam adnauigasse.

Dithyrambus, in Liberi patris honorem fieri solebat: quippe bis natus, bis exiuit è naturæ principijs, tanquam binas fores transmiserit, *Dis Ἴριος ἀμείβων.*

INSTITVTIO
DE EPITAPHIO, SEV
Funebri Poesi.

QVOD SIT ἐπιτάφιον ἢ λόγιον ἢ Ἐπιτάφιο
phium, Epicedium, Nenia.

CAPVT LIX.

O Ratio quæ initio ad tumulos eorum, quos
laudabāt, pronūtiabatur, ἐπιτάφιον ἢ λόγιον
nomen adepta est. Constabat hæc Epitaphica ora-
tio aliquando versibus: Poëtæ enim in defuncti
laudibus prædicandis concertabant. Epitaphium
est metricum quoddam Epigramma, quod videlicet in-
scribi posset defunctorum sepulchro siue tumulo, illo-
rum plerumq; nomen, ætatem, merita, statum, digni-
tates, laudes tum animi, tum corporis, mortis genus,
aliaque huiusmodi grauer, & sæpius cum quadam
cōmiseratione, ac interdum ingentis doloris significati-
one breuiter indicans, Plato breuitatem amauit in
Epitaphio, & sepulchra fieri sumptuosa vetuit. A-
pud Virgilium in Daphnide, cum Mopsus ita
dixisset,

*Spargite humum folijs, inducite fontibus umbras
Pastores, mandat fieri sibi talia Daphnis:*

Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.

Mox sequitur Epitaphium duobus versibus
comprehensum.

Daphnis ego in siluis, &c.

Epitaphia ad exornationem maxime referun-
tur. Epicedium Græcè ἐπικένδειον, à κηδεύω, vt
Eustathius deducit, recitabatur, dum iusta mor-
tuo soluebantur, seu ante humationem cadaue-
ris: quasi dicas, ad exequias, in ipso funere, dum
curatur funus. Exemplum exstat Ecloga 5. vbi
Mopsus Daphnidi canit Epicedium.

*Daphnis ego in siluis, hinc usq; ad sidera notus,
Formosi pecoris custos formosior ipse.*

Et Æneidos 9. vbi mater Euryalum à Rutulis
vita spoliatum plorat.

Hum ego te, Euryale, aspicio? tunc ille senecta

Sera

Særa mea requies: potuisti linq̄ere solam
 Crudelis? nec te sub tanta pericula missum,
 Affari extremum misera data copia matri?
 Heu terra ignota, canibus data præda Latinis,
 Alitibusq; iaces: nec te, tua funera, mater
 Produxi, pressive oculos, aut vulnera laui,
 Veste tegens, tibi quam noctes festina, diesq;
 Urgebam, & tela curas solabar anileis.
 Quo sequar? aut quæ nunc artus, amulsaq; membra,
 Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te
 Gnate refers? hoc sum terraq; mariq; secuta?
 Figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
 Coniците, ô Rattuli: me primam absumite ferro:
 Aus tu mgne pater Diuum miserere, tuoq;
 Inuisum hac detrude caput sub Tartarotelo:
 Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Et II. in quo lugetur Pallas Euandri filius.
 Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
 Invidit fortuna mihi, ne regna videres
 Nostra, neq; ad sedes victor veherere paternas.
 Non hæc Euandro de te promissa parenti
 Discedens dederam cum me complexus euntem
 Mitteret in magnum imperium, metuensq; moneret
 Acreis esse viros, cum dura prælia gente.
 Et nunc ille quidem spe multum captus inani,
 Forsan vota facit, cumulatque altaria donis.
 Nos iuuenem exanimum & nil tam cælestibus ullis
 Debentem, vano mæsti comitamur honore.
 Infelix gnati funus crudele videbis,
 Hi nostri reditus, exspectatiq; triumphi:
 Hæc mea magna fides! at non Euandre pudendis
 Vulneribus pulsum aspicias: nec sospite dirum
 Optabis gnato funus pater. heu mihi quantum
 Praesidium Arsonia, & quantum tu perdis Iule?
In supplemento Maphæi Daunus Turni ab Æ-
nea interfecti pater in hunc modum.
 Nate patris dolor, & fessa miseranda senectæ
 Rapta quies, quo me tantis iactare periculis
 Duxisti, & sauis tandem deuictis sub armis?

Quo

Quo tua me praestans animi constantia vexit?
 Hic clara virtutis honos hac gloria sceptri?
 Hoc magni decus imperij? talesne triumphos
 Nate refers? hac illa quies promissa parenti
 Afflictio toties? hac meta optata laborum?
 Heu miserum, quam praecipites labentia casus
 Seclâ agitant, quanto voluuntur fata tumultu,
 Qui iam sublimes referebas clarus honores,
 Et magnus toto in Latio: quem Troës in armis
 Horrendum, & trepidi toties sensere furentem.
 Nunc, mi Turne, iaces miserandum, & flebile corpus,
 Iam mutum est sine voce caput: quo pulchrior alter
 Non fuit in tota Ausonia, nec gratior ullus
 Eloquio, nec quis positus ingentior armis.
 Nate ubi forma nitens, niueaq; in fronte serenus
 Ille decor, dulcisq; oculorum aspectus, & alta
 Siderius cervicis honos? his gloria Martis
 Contigit auspitijs? tali rediture paratu
 Discedens voluisti avidis te credere bellis?
 Heu mortem inuisam: quæ soli ultricibus armis
 Elatos frenas animos, communia toti
 Genti sceptrâ tenens, æternaq; fœdera servans:
 Quæ magnos paruosq; teris: quæ fortibus æquas
 Imbelles, populisq; Duces seniumque iuventa.
 Heu mortem obscuram: quæ caussa indigna coëgit
 Eripere, atq; meum crudeli vulnere natum
 Afficere, o fœlix tam gratio cedis Amata
 Successu latere tua: quæ tanta dolorum
 Fugisti monumenta, grauisque immania casus
 Pondera, quid misero genitori plura paratis
 O superis natum rapuisti, & Ardea flammis
 Consumpta in cinerem versa est: nunc æthera pennis
 Verberat: ah, me, Turne, tua plus cæde cruenta.
 Deerat adhuc fors ista patris suprema senectæ,
 At vero tali se res cum fœdere versant,
 Et quem infesta furens miserum fortuna moratur,
 Illum omni petat infrendens, & turbine cogat.

Et quidem Epicedium non repetebatur: Epita-
 phia, siue metris constarent, siue soluta essent, in
 annos

annos singulos ad extincti monumentum iterabantur. Consuetudo tamen, quæ ut aliarum rerum, sic verborum domina est. Epicedij nomen ad carmen funebre quodcumq; indicandum transtulit. Nænia carmen erat, quod ad rogam, seu in funere concinebatur ad tibiam, in quo ea probebantur, quæ ad mortui laudem declarandam, luctumque astantibus commouendum faciebant. Huiusmodi cantionem sibi Dido Regina Carthagini apud Maronem constructa iam pyra in gladium incubitura effundit.

*Dulces exuvie dum fata Deusq; sciebant,
Accipite hanc animam, meq; his exolvite curis.
Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregit
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem præclaram statui: mea mœnia vidi,
Ultra virum pœnas inimico à fratre recepi:
Felix, heu nimium felix si littora tantum
Nunquam Dardania tetigissent nostra carina,
Dixit: & os impressa toro moriemur inulti?
Sed moriamur, ait: sic sic iuuat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus & nostra secum ferat omina mortis.*

M A T E R I A F U N E B R I U M.

C A P V T L X.

Q Vanquam Epitaphio cæterisque Poematum funebrium generibus lugubria ferme explicantur, non sunt tamen omnia vnus eiusdemque rationis: sicuti nec ipsæ Personæ, de quibus scribuntur. Alia quippe est persona Cæsarum, Regum, Principum, alia mediocriter nobilium, alia sapientum, alia stultorum, alia magistratuum, alia priuatorum. Rursum alia puerorum, alia adolescentum, alia mulierum nuptarum, innuptarum, alia opificum. Reliqua discrimina, ne longus sim, præteribo. Generatim autem hæc & similia Epitaphio, seu genere aliquo funebrium Poematum persequemur. Significabimus nostrum aliorumq;

rumq; dolorem ex obitu hominis acceptum. Inuehemur in mortem, quæ nos tam constantibus amicis, tam iucundis sodalibus, tam caris fratribus, tam dilectis sororibus, dulcissimis parentibus, consanguineis, affinibus: nostram patriam, tam bonis ciuibus, Remp. tam sapiente gubernatore, regnum tam bono Principe spoliari. Detestabimur ipsam causam, quæ interitum inuexit, bellum, pestilentiam, famem, morbum, tempestatem, subitos & improuisos casus, qui hic enarrari non possunt, quippe innumerabiles: & nunquam homini factum prouisum est, quid vesper ferus apportet. Fas item deffere miseram humanæ vitæ conditionem, quæ nunquam longe abest à termino. Hic verò incredibilem optimarum sententiarum yberitatem vtriusque linguæ scriptores suppeditabant. Hortamur quoque ad luctum, non homines solum, sed res inanimas, & eas ipsas sicuti bestias quoque, squalere, afflicti, lugere dicimus. Ut Virgil. Eclog. 5.

Non ulli pastos illis egere diebus

*Frigida, Daphni, boues ad flumina nulla, neq; amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.*

*Et postea. ---postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atq; ipse reliquit Apollo.*

*Grandia sæpe quibus mandauimus hordea sulcis,
Infelix lolium, & sterites dominantur auenæ.*

Comparamus nos cum ijs, qui ob patrum, filiorum, coniugum, necessariorum interitum, in luctu & mœrore non vulgari iacuerunt, nostrumque mœrorem, & incommoda exaggeramus. Est quando consolamur propinquos, & familiares defunctorum, dicentes, cum illis bene actum, & multis malis creptos, pro excellentibus eorum meritis æuum securum agere in cælis: quin apud superstites quoque celebre nomen & illustrem famam adeptos. Ita Mart. lib 6. Priscum de patre Salonino in Hispania mortuo consolans, fama, & gloria virtutis eum viuere affirmat. Defunctis
placi-

placidam quietem, & gaudia sempiterna precamur. Pium præterea, & Catholicum foret, si viatorem Poëta hortaretur ad preces Deo exhibendas pro anima demortui expianda: idque etiam ipsum è tumulo defunctum flagitantem poterit inducere. Sicut item pro nostræ religionis mysterio sapius resurrectionis corporum meminisse poterimus, & illius vitæ beatissimæ, quam nobis diuinæ litteræ pollicentur. Quod ad laudes attinet, effereamus eos, modicè tamen: in Epitaphio inquam: nam in Epicediis, Naniis &c. licebit esse longiores, & cum pondere, animi atque corporis ornamenta, egregia facinora, auctoritatem, genus, &c. alia demum, quæ deinceps omnia distincte, distributeque exponentur, commendare.

*DE EPITAPHIO IMPERATORVM,
Regum, Principum, Nobilium, &
Illustrum.*

C A P V T L X I.

Genus hoc, quoniam id ipsarum personarum auctoritas, amplitudo, maiestas, & nobilitatis reuerentia postulat, cum Verborum, tum Sententiarum luminibus debet esse grauissimum, lectorumque animis multam admirationem parere: siquidem vt nullorum hominum potentia maior, vita splendidior, fama peruagatior ita nullorum occasus vulgatior: addo etiam mirabilior, insperatior, & sæpenumero calamitosior. Nec vero filebitur eorum Felicitas in propagandis imperiis; Sapientia, iustitia in administrandis regnis, prouinciis; Clementia in ignoscendis subiectorum peccatis; Comitas in congressu; Fortitudo & prudentia militaris; hæc enim sunt decora principum. Maximè autem proferetur Pietas in benefactis erga homines, in templis condi-

ris erga Deum, in tuenda, & propugnanda religione orthodoxa.

TVMVLVS CAROLI V. EX HYP-
polyto Capilupo.

*Europa domuit, tollentes, cornua Reges,
Carolus atq; Asia terror, & horror erat.
Et pedibus Libyam calcavit, victor, & illi
Innumeras victus præbuit Indus opes.
Deinde sibi frenum iniicit, Fratriq; regendum
Imperium, & Nato cætera regna dedit,
Atq; ait, è nobis, & honores temnere, & unum hoc
Discite mortales, puluis & umbra sumus.*

In nobilitate consideratur antiquitas familiæ: quo enim quæque vetustior, hoc nobilior. Plerumque opes cum nobilitate coniunctæ sunt: nobilium quippe sunt sylvæ, pagi, arces, oppida. Nunc altera laus nascitur à diuitiis. Illustres viros appello, rebus in magistratus, ut in ædilitate, prætura, consulatu, gestis; nobilitate, virtute, auctoritate, meritis claros, & honoratos, toti civitati notissimos. Inspicienda hic ea, quibus gloriosum in Rep. nomen concilietur, quæ strictim attingenda. Libandi item loci communes, & si quid in morte novum, admirabile, triste acciderit, si qua virtus eximia, & egregiè Christiana in homine eluxerit, qualis in primis est Beneficentia in egentes: si à multis nepotibus & neptibus, ut ille Metellus Romanus, in sepulcrum illatus sit: si ut Maximus, & L. Paulus filios claros haberit: si vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate vixerit.

DE EPITAPHIO DUCVM
atque Militum.

CAPVT LXII.

DVæ sunt artes bellicæ, Prudentia, & Fortitudo, de quibus Cic. in 1. Offic. earum utraque Duci seu Imperatori est necessaria, amplius tamen

men Prudentia : militem potius commendat
 Fortitudo, qui ad alienum arbitrium gubernatur,
 & Ducis imperium, seu prudenter ille, seu stolidè
 imperauerit, capeſſere neceſſe habet. Itaque
 nunquam magnopere commendatus eſt miles à
 prudentia, ſed à Fortitudine. Prudentia quidem
 Imperatorem cum Vlyſſe, Neſtore, Q. Fabio Ma-
 ximo : Fortitudine cum Achille, Aiace, Scipione,
 Hannibale, Epaminonda, Leonida cõtendemus.
 Ipſum aut æqualem aut maiorẽ ſtatuemus. Enu-
 merabimus erecta trophæa aduerſus hæreticos,
 & Turcas potiffimum, concifo ac funditus dele-
 tos exercitus, captas, deſenſas, obſidione liberatas
 vrbes, & illa quæ in ſummo Imperatore ineſſe o-
 portere ſcripſit M. T. Scientiam rei militaris, Vir-
 tutem, Auctoritatem, Felicitatem. De his omni-
 bus vniuerſe, ſi volumus, aut de vno aliquo ſpe-
 ciatim agemus. Dicemus quam generoſe occu-
 buerit: præclaræ enim mortes Imperatoriæ. Affa-
 bimur Remp. patriam, regna, prouincias, ditio-
 nes, vrbes. Earum vicem deplorabimus: quantæ
 calamitates præſtantiffimo Imperatore occiſo an-
 te fores ſint, oſtendemus. Fletum ciuium, propin-
 quorum, omnis generis hominum, crudelitatem
 hoſtis in mortuum exponemus. Ipſum etiam ſua
 decora prædicantem, & indignitatem necis, ſi per
 inſidias aut proditionem oblata ſit, conqueren-
 tem introducemus. Nec deſunt generoſi bellato-
 res, quibuſcum Miles rectiffimè conferatur. Ha-
 bemus nempe Coclites, Horatios, Curiatios, Scæ-
 uolas, Torquatos, Euryalos, Niſos, Patroclos, &
 alios apud Virgilium, & Homerum. Laudantur
 in Milite Obedientia erga ducem, Vigilæ, Tole-
 rantia æſtus, frigoris, itinerum, famis, ſitis, Conti-
 nentia voluptatum, & ſuper omnia Caritas pa-
 triæ pro qua ſuum caput deuouerit. Memorantur
 eiufdem Victoriæ: efferuntur cicatrices: maxime
 ſi omnes aduerſæ, nulla auerſa fuerit. Non omitti-
 tur ſi nunquam fugam dederit: ſi eum ſicut ex-
 emplum

emplum cæteri spectarint: si ab Imperatore aut
congiarium frequenter, aut coronam obtinuerit
ciuicam, muralem, castrensem, naualem. Fas in-
terim detestari bellum, quod parentes dulcissimis
liberis, Rempubl. optimis ciuibus, prouincias &
regna hominibus orbare, sursum ac deorsum mis-
cere, & confundere omnia solear.

T V M V L V S H E C T O R I S.

Defensor patriæ, iuuenum fortissimus Hector,
Qui murus miseris ciuibus alter erat;
Occubuit telo violenti victus Achillis,
Occubuere simul spesq; salusq; Phrygum,
Hunc ferus Æacides circum sua mœnia traxit,
Quæ iuuenis manibus texerat ante suis.
Heu quantos Priamo lux attulit illa dolores?
Quos fletus Hecubæ, quos dedit Andromachæ?
Sed raptum Pater infelix auroq; repensum
Condidit, & mœrens hæc tumulauit humo:

T V M V L V S A C H I L L I S.

Teleides ego sum, Theridis notissima proles,
Cui virtus clarum nomen habere dedit.
Qui stravi toties armis victricibus hostes,
Inque fugam solus millia multa dedi.
Hectore sub magno summa est mihi gloria caso,
Qui sæpe Agricolas debilitauit opes.
Ille Mœnætiada subijt me vindice pœnas,
Pergama tunc ferro procubuere meo.
Laudibus immensis victor super astra ferebar:
Hostilem pressi fraude peremptus humum.

D E E P I T A T H I O E R V D I T O R U M,
ac Sapientum.

C A P V T L X I I.

Varii sunt ordines doctorum, & sua cuiusque
propria laus, Theologorum, Philosophorum,
Iureconsultorum, Medicorum, Mathematico-
rum, Astrologorum, Oratorum, Poetarum, Gram-
maticorum. In Poetarum tumultis mentio Musæ-
rum, Phœbi, lyræ, citharæ, plectri, fontium, flumi-
num,

num, montium Musis dedicatorum, camporum
item Elysiorum: quæ omnia cum mera figmenta
sint, vt alia innumerabilia in studio Poetico, nota
omnibus, & credibilia nemini, propter quendam
leporem tamen, & suauitatis gratia videmus à ple-
risque non negligi.

B E M B V S I N P O L I T I A N V M.

Duceret exstincto cum Mors Laurente triumphum,

Latag, pullatis inueheretur equis,

Respicit insano ferientem pollice chordas

Viscera singultu concutiente virum:

Mirata est, tenuitq, iugum, furit ipse piog,

Laurentem cunctos flagitat ore Deos.

Miscebat precibus lacrymas, lacrymisq, dolorem,

Verba ministrabat liberiora dolor.

Risit & antiqua non immemor illa querela

Orphei, tartarea cum patuere via:

Hic etiam infernas tentat rescindere leges,

Fertq, suas, dixit, in mea iura manus?

Protinus & flentem percussit dura Poetam,

Rupit & in medio pectora docta sono.

Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt

Arbiter Ausonia, Politiane lyra.

Et alterum in Herculem Strozam:

Te ripa natum Eridani Permessus alebat,

Fecerat & vatem Marsq, Venusq, suum.

Iniecere manus iuueni, & fatalia duris

Stamina pollicibus persecuere Dea.

Vxor honorata manes dum conderet urna,

Talia cum multus dicta dedit lacrymis:

Non potui tecum dulcem consumere vitam,

At iam adero amplexans te cinerem ipsa cinis.

In Cottam Veronensem Sanazarij lib.

2. Epigrammat.

Sperabas tibi docta nouum Verona Catullum:

Experta es duos bis viduata Deos.

Nulla animum posthac res erigat, optima quando

Prima rapit celeri Tarca inimica manu.

Quo

*Que tamen ut vidit morientis frigida Cotta
Ora, suum fassa est crimen, & erubuit.*

Multum in Epitaphiis Eruditorum & Sapientum valebunt comparationes. Ut si in Poëtam scribas, eum conferas Ouidio, Propertio, Tibullo, Catullo, Virgilio, Homero, Orpheo, ipsi Apollini. Si in Oratorem Ciceroni, Demostheni: nam hi duo cæterorum gloriæ obscuritatem attulerunt. Si in Mathematicum, Euclidi, Ptolemæo, Archimedi. Si in Medicum, Podalirio, Pæoni, Machaoni, Æsculapio. Si in Philosophum, Aristoteli, Platoni, Zenoni. Si in Theologum, Augustino, Thomæ Aquinati. Adhæc deploranda conditio litterarum, amissis earum interpretibus, & antistitibus. Exaggeranda vniuscuiusque in suo genere eruditio. Prædicanda in Theologo pietas, & celestis sapientia: in Philosopho acumen: in Medico diligentia: in Iureconsulto integritas: in oratore facundia: in Poëtis maximè suauitas: in Grammaticis linguarum Græcæ & Latinæ perfecta cognitio, multaque lectio. Si quis libros ediderit, commendandus labor, laudanda scriptoris benè merendi de posteritate voluntas.

Tumulus Medici ex Fracastorio.

*Dum medica Montane doces ope vincere fata,
Et Lachesi inuita viuere posse diu,
Letheo indignans pressit te Parca sopore,
Et secuit vitæ grandia fila tua,
Sic animas & tu, asclepi, dum subtrahis orco,
Tu quoque saurorum perdidit ira Deum.*

Tumulus Andreæ Vesalii Medici.

*Quo non arte prior fuit medendi,
Aut Asclepius, aut senex Machaon,
Aut magnus Podalirius: medentum
Princeps Vesalius celebriorum:
Dum morbi bonus artifex medetur
Cunctis iam sibi nec medetur ipse
Summus Paoniae magister artis,
Fato mortuus heu nimis maligno.*

Tumu-

Tumulus Alberti Magni Episc. Ratispo-
nensis.

*Magna parens, altrixq; virum Germania, alumni
Incedis merito laude superba tui.
Natura, ac rerum vires, causasq; latentes.
Hoc nemo nobis doctius explicuit.
Magnus ob egregias fecundi pectoris artes.
Dictus es: at Christi nunc ope maior eris.*

In Rudolphum Agricolam.

*Pro meritis qua digna satis te doctæ Rudolphe
Musa canet, Frisij spemq; decusq; soli:
Dum Logicæ salebras in apertam conijcis artem,
Et resonat numeris dulcibus icta chelys.
Ausonia ingemuit, peregrinæ murmura lingua,
Tam mulcere aures molliter illa suas.*

Tumulus Ioannis Ludouici Viuis Valen-
tini Philosophi.

*Parca ferox Viui vellet dum scindere filum,
Hos capiti assistens edidit ore sonos:
Corpore te soluam: tua sed monumenta manebunt,
Namq; horum potui iuris habere nihil.*

Eiusdem.

*Doctrinæ columen, decusque vitæ
Viuem, ne tumulo hoc puta Viator
Condi, sed tennes soli fauillas.
Nam non mors violenta, non edaces
Ignes non series vetusta secli,
Non vires chalybis licet potentis,
Non fluctus pelagi licet ferocis,
De vita poterunt tulisse Viuem.
Doctrinæ columen, decusque vitæ.*

Tumulus Gulielmi Budæi Iuriconsulti &
Consil. Regii.

*Budæus columen decusque Graiūm:
Budæus Latia corona lingua:
Budæus dubij lucerna iuris:
Budæus pater elegantiarum.*

Et fons totius eruditionis:

Budæus patria iubar coruscum,
Regis delitium sui, suaq;
Tempestatis honos, lepos, voluptas,
Hic terra exuuias reliquit, orbi
Famam, astris animam Viator ito.

Tumulus Huldrici Zasij Iuriconsulti.

Arduum iactant velut Alciatum
Gallia: iactat Marium superba
Roma: Germanis ita regnat unus
Zasius oris.

Zasius clarum iubar ille legum:
Zasius, linguae decus & Latina:
Zasius præstans studijs quibus suis
Inclytus heros.

**Tumulus Petri Apiani Astronomi, &
Cosmographi.**

Hoc Apianus habet, quod erat mortale, sepulcro,
Immortale, Deo tempora pacis agit:
Sic caput ante pio qui misit in astra labore,
Sub pedibus felix nunc videt astra suis.
Astra videt felix, quisquis demisit in astra
Et caput, & studuit quærerementem Deum.
Eiusdem.

Hos Apianus habet tumulos: da pingua thura,
Sparge rosas, manes ac venerare pios.
Edidit hunc, nequijt quæ vivere Misnia: semper
Præstantes agitant fata sinistra viros:
Exceptit tellus, & fouit Norica: clara
Et fama docto nomina ferre dedit.
Iura poli, & aliq; vias, & sidera nouit:
Trinacrio, celebri non minor arte. sene.
Nunc cælo positus, quæ mente solebas adire,
Omnia sub pedibus lucida signa videt.
Tu passis luge Germania mæsta capillis:
Arte tibi hac similem non feret ulla dies.

In Ordinum Lassum Musicum.

Bruta Orpheus, saxa Amphion, delphinas Arion
Traxit: at Orlandus post se terramq; fretumq;:

Post

Post se traxit item molem totius Olympi.
 Quanto igitur, quantoq; potentior unus
 Orlandus tribus his, Amphione, Arione & Orpheo.

Alius tumulus.

Sol quod splendidus inter est planetas,
 Stellis Luna quod inter est micantes:
 Lassus, splendidus artifex canendi,
 Inter artifices id est canendi
 Res ut Sol recreat suo calore,
 Res ut Luna fouet suo vigore:
 Mæstos sic leuat artifex calore
 Lassus sic fouet artifex sonore
 Suaves qui canit artifex sonores.
 Dulces qui sonat artifex canores,
 Est quod Sol vagus inter est Planetas,
 Stellis Luna quod inter est micantes.

DE EPITAPHIO CONSANGVI-
 nearum. Itam Virginum, & Ma-
 trumfamilias.

C A P V T L X I V.

Quæcunque in isto genere fient Epitaphia, ab-
 undabunt lachrymis, lamentis, suspiriis. Vir-
 ginum tumulos aspergimus narcisso, hyacintho,
 liliis, rosis, violis, atq; istum honorem integritati
 corporis feminei etiam post obitum habemus.
 Non stultè: est enim nitidissimus, & fragrantissi-
 mus quidam flos virginitatis, & ad eius eleganti-
 am exprimendam nihil aptius. In tumulis ma-
 trumfamilias nullæ detestationes, exclamationes,
 gemitus &c. argutæ autem sententiæ non exclu-
 duntur. Ergo nihil aliud præter sobriam quandam
 laudationem postulabunt hæc Epitaphia. Laudes
 earum hæ: Concorditer & amanter egisse annos
 plurimos cum marito, sine iurgio, sine querela, si-
 ne rixis. Cōseruasse fidē, & iura thalami castissimè,
 Sæper fuisse viro morigerā In aduersis casib. nun-
 quam eum deseruisse. Præstitisse Penelopen, Al-
 cesti-

cestidem. Dedisse formosos, multosque liberos, qui est coniugii finis & fructus. Vidisse nepotes suos, & natos natorum, & qui nascuntur ab illis. Bene & Christianè educasse filios. Maribus diligētia, & sollicitudine seruasse, & auxisse patrimonium. Filiarum vigilanter custodiuisse pudicitiam, prudenter gubernasse familiam. Cum ancillulis, non fuisse deditam otio, sed lanificio, vt Lucretiam. Coluisse etiam summoperè pietatem, & silentium. Non luxuriosam in vestibus, nec superbam extitisse.

Epitaphium a nobilis matronæ: Mart. 10.
*Marmora parua quidem sed non cessura, viator,
 Mausoli saxis Pyramidumque leges.
 Bis mea Romano spectata est vitta Terento,
 Et nihil extremos perdidit ante rogos.
 Quinq; dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas,
 Clauserunt omnes lumina nostra manus.
 Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitque
 Vna pudicitia copula nota mea.*
 Tos. tom. 1. ad finem ex Vetustis Lapidibus.

*Apollonia qua vocitabar.
 Lapide hoc inclusa quiesco,
 Ipso mihi flore iuuenta
 Ruperunt fila sorores:
 Annos post decem, & octo,
 Vetuerunt visere lumen.
 Unum sortita maritum,
 Seruavi casta pudorem.
 Mater misera hoc monumentum,
 Extruxit Olympias amens.
 Hac sunt: bene viue viator.*

Aufonius ex Græco.

*Viginti atq; nouem genitrici Callicrateæ
 Nullus sexus mors mihi visa fuit:
 Sed centum & quinq; expleui bene messibus annos,
 In tremulam baculo non subeunte manum.*

DE

POETICA. 129
DE EPITAPHIO PATRIS,
fratris, filiorum.

CAPVT LXV.

NON ita tenerè patrum quàm matrum obitus
lugemus. Quocirca quamuis Epitaphium pa-
tris oporteat esse mœstum, ac lugubre, admiscen-
da est tamen grauitas, eiusque laudes, ac merita
non tacenda: quò non solum nos optimum pa-
rentem, sed etiam Resp. bonum egregiumq; ci-
uem amisisse videatur: ac proinde suum illa mœ-
rorem cum nostro mœrore coniungat, & com-
munibus lacrymis integerrimi viri memoriam
prosequatur. Fraternalis amoris flammam norunt,
qui fratres aut habent, aut habuerunt. Oratio igitur
querelarum & dulcium affectuum plena huic
generi Epitaphiorum idonea existimatur. Catul-
lus quidem ad eum fratrem suum ardentem dilexit,
vt ex illius obitu dolorem vix consolabilem sus-
ceperit, quem non vno in loco multis iisdemque
vt tristissimis, ita suauissimis carminibus testifica-
tur. Quæ ob eam causam inserta his præceptioni-
bus maximè; vt eam materiam argumentumque
fraternalis Epitaphiis, seu Naniis, seu Epicediis mi-
nistrent, illorumque lectione quilibet ad germani
sui è vita discessum pio luctu prosequendum exci-
tetur. Cùm igitur promississet Oratio Carullus, se
Callimachi elegiam de coma Beronices Latinis
versibus à se interpretatam illi missurum, id se
quamuis ingenti mœrore ex interitu fratris præ-
ditum, præstitisse confirmat.

*Et si me assiduo confectum cura dolore,
Seuocat à doctis, Oratio, virginibus,
Nec potis est dulces Musarum expromere factus
Mens animi, tantis fluctuat ipsa malis:
Namq; me nuper lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans abluuit vnda pedem.
Troia Rethæo quem subter littore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.*

Alloquar? audierone unquam tua verba loquentem?

Nunquam ego te, vita frater amabilior

Aspiciam post hac? at certe semper amabo,

Semper mœsta tua carmina morte canam:

Qualia sub densis ramorum concinit umbris

Daulias absumpti fara gemens Iryli, &c.

Elegia verò ad Mallium ostendit earum rerum studia, quas ille ab se petiuerat, penitus ob contractam de fraterna morte. ægritudinem ex animo excidisse. Versus aliquot nostri instituto accommodati ex ea decerpti.

Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Malli,

Neu me odisse putes hospitis officium,

Accipe queis mer ser fortuna fluctibus ipse,

Ne amplius à misero dona beata petas,

Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,

Iucundum cum etas florida ver ageret,

Multa satis lusi: non est Dea nescia nostris,

Qua dulcem curis miscet amaritrem.

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors

Abstulit, o misero frater adempte mihi.

Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater,

Tecum vna tota est nostra sepulta domus.

Omnia tecum vna perierunt gaudia nostra,

Qua tuus in vita dulcis alebat amor.

Cuius ego interitu tota de mente fugavi

Hæc studia, atq; omnes delicias animi.

Ei post multa iterum abripitur, mœstumque canit.

Troia, nefas, commune sepulcrum Europa, Asiaq;

Troia virum virtutum oranium acerba cinis.

Qua nempe & nostro latum miserabile fratri

Attulit? heu misero frater adempte mihi.

Heu misero fratri iucundum lumen ademptum,

Tecum vna nostra est tota sepulta domus.

Omnia tecum vna perierunt gaudia nostra,

Qua tuus in vita dulcis alebat amor.

Quem nunc tam longè non inter nota sepulcra,

Nec prope cognatos compositum cineres,

Sed

*Sed Troia absœna, Troia infelice sepultam
Detinet à nostro terra aliena solo.*

Sub finem porro totius libri, eius manibus
soluit inferias hoc mollissimo Epigrammate.

*Multas per gentes, & multa per æquora vectus,
Aduenio has miseræ frater ad inferias,
Ut te postremo donarem munere amoris,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te te abstulit ipsum,
Heu misero indignè frater adempte mihi!
Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
Tradita sunt tristes munera ad exequias,
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atq; in perpetuum frater aue atq; vale.*

In Filii Epitaphio conuenit lugere patrem, vt
qui magnum solatium perdiderit, quia spem suæ
posteritatis amiserit; piorare minus. Narrare item
hæc poterit: liberalem, & indulgentem educati-
onem, curas pro eo noctes atque dies agitatas, de-
lectam nuptiis præstanti corpore puellam, spera-
tos nepotes, honores, opes, auctoritatem, gratiam
ciuium, quæ omnia cum ad nihilum ceciderint,
sibi dolorem & luctum immensum parere. Locus
communis in vanitatem spei. Pollicebitur, se quia
diu superesse non possit eius funeri, breui ad eum
in beata loca venturum. Si filius obierit paruus,
blandum, & ludicrum magis sit Epitaphium, ha-
beat illecebras, lusus, & oscula, quib⁹ se cum par-
uulo viuente, pater materve sæpenumero ob-
lectauerit, Sanazarius nomine parentum:

*Nate patris, matrisq; amor, & suprema voluptas,
Accipe quæ nobis te dare par fuerat.
Busta eheu tristesq; notas damus: inuida quando
Mors immaturo funere te rapuit.*

Bembus in Lucilium suum.

*O multum dilecte puer, quæ dura parenti
Fortuna inuidit te superesse tuo?*

F 4

Quam

*Quam producebam lætus te sospite vitam,
Erepto peior morte relicta mihi est.*

Filii grandioris L. Q. tom. 2.

*Non lacrymis indigne meis, nec honore sepulchri
Rapte mihi ante diem dulcis alumne iaces,
Intra bis denos te ostendit, & abstulit annos
Parca ferox, votis insidiata meis.*

*Nec potuit probitas, nec amœni gætia vultus
Flectere, non ætas, nec pia turba Deam.*

*Spes hominum stolidas! tumulauit mastus ephæbum,
Qui me debuerat lætus humasse senem.*

DE EPITAPHIO INFANTUM,
puerorum, adolescentum:

C A P V T L X V I.

ERit in hoc Epitaphio primus, & frequentissi-
mus locus querimoniarum de inclementia vitæ longi-
tudine, de inclementia atq; inuidia diuæ mortis:
quæ ab utero materno videtur homines insequi,
& alium tardius insertis vnguibus apprehendere.
Sunt item loci laudationis à genere, ab indole a-
nimi, à pudore, à suauitate morum, à forma li-
berali, ab artibus, ad quas illa ætas incumbit, à ca-
ritate dominorum, patronorum, fratrum, pa-
rentum, consanguineorum erga eos. Ad commi-
serationem iuuabunt dolores & lacrymæ matrum
ac sororum: nec non iucundæ collationes à flos-
culis nobilioribus, æstu, vento, imbre, grandine
marcidis, prostratis, euulsis. Pythagoras quatuor
ætatis gradus constituebat, pueritiam, adolescen-
tiam, corroboratam seu virilem ætatem, senectute-
m. Primam veri, secundam æstati, tertiam au-
tumno, postremam hyemi similem autumabat.
Vere germina frugesque nascuntur, æstate cres-
cunt, autumno ad maturitatem perueniunt, hye-
me cocti & victi, cum arbores nudantur foliis, de-
cidunt & moriuntur. Quamobrem haud inepte
pueros & adolescentes cum flosculis, rosisque lan-
guentibus

guentibus ac marcescentibus componimus, siquidem illorum anni florentes, & ætas florida dicitur. Vnde factum, vt in eorundem Epitaphiis Poëtæ inuitarent, hortarenturque viatores ad tumulum aspergendum violis, rosis & floribus. Sic Virg. 9. Æne. quo loco eadem adolescentis Euryali, & ceruicem in humeros collapsam describit.

*Turpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassosque papauerâ collo
Demisere caput pluuia cum fortè grauantur.*

Interdum tamen gratulamur potius obitum infirmiori ætati, quod non à bono, verum à multis malis, quibus hominum vita referta, discesserint.

Luciani Callimachum quinquennem puerum

παιδα μὲν πέντε ἔτηγον, &c. sic Latine sonat.

Nil me sollicitum post quintam barbara messera

Mors puerum è viuis Callimachum rapuit:

Tu caue me plores: pauco qui tempore vixi,

Pauca etiam vidi, sustinuiq; mala.

Martialis in Glauciam libertum Melioris, lib. 6,

Libertus Melioris ille notus,

Tota qui cecidit dolente Roma,

Cari delicia breues patroni,

Sub hoc marmore Glaucias humatus,

Iuncto Flaminia iacet sepulcro:

Castus moribus, integer pudore,

Velox ingenio, decore felix.

Bis senis modo mensibus peractis

Vix unum puer applicabat annum.

Ni flet talia, nil fleas Viator,

Eodem libro in Eutyrium puerum.

Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino

Naiades, & luctus sentiat ipsa Thetis.

Inter Baianas raptus puer occidit undas

Eutyrius: ille tuum, Castrice, dulce latus,

Hic tibi curarum socius, blandumq; leuamen,

Hic amor, hic nostri vatis Alexis erat.

Nunquid te vitreis nudum lasciuia sub undis

Vidit, & Alcide Nympha remisit Hylam?

*An Dea femineum iam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri sollicitata viri?*

*Quidquid id est, subita quaecumq; est causa rapinae,
Sic prece & tellus mitis & unda tibi.*

*Aliud in Urbicum puerum lib. 7. in
extremo.*

*Conditus hic ego sum, Bassi dolor, Urbicus infans,
Cui genus, & nomen maxima Roma dedit.*

*Sex mihi de prima deerant trieteride menses,
Ruperunt terrica cum mala pensa Dea.*

*Quid species, quid lingua mihi, quid profuit atas?
Da lacrymas tu uolo, qui legis ista, meo:*

*Sic ad Lethaas, nisi Nestore senior, undas
Non eat, optabis quem superesse tibi.*

Sed venustissimum Cottæ in Quinterium.

Me longe effigie venustiore

Narcissi, vel Apollinis comati,

Parcarum Lachesis nimis seuera

Isti Quinterium dedit sepulcro.

Cur non flosculus exeam requiris,

Cum tantum fuerim puer decorus?

Tellus est nimis arida, ô viator,

Nostri facta perustione amoris:

Sed si lacrymulis tuis madescet,

Forsan flos nouus ibit è sepulcro,

Tuscanus.

Blandidulus, nitidus, pulcer dulcissimus infans,

Delicia matris, deliciaq; patris,

Hic situs est tenerum raptus Lucillius annis,

Ut rosa que subitus imbribus icta cadit.

Adolescentis L. Q. tom. 1.

Iulius hic iaceo, prima quem flore iuuenta

Decerpit rapida mors inimica manu.

Si spectes annos, iuuenem me fata tulerunt:

Si ingenium, dices me perysse senem.

In præmaturum Infantis primogeniti obitum.

Primitias frugum superis quis debita nescit

Dona, quibus nullum gratius esse potest?

Hæc

*Hæc capiunt lati, & largo mox fœnore pensant,
 Iacturæq; sua commoda sentit ager.
 Sic ego crediderim hunc superos voluisse puellum,
 Spes generis tanti qui modo prima fuit.
 Tanquam primitias, quibus & sua dona rependant.
 Florentem hanc natus mox cumulentque domum.
 Atq; quod orbat, possit recreare parentes,
 Hoc faustum infausi funeris omen erit.*

De Epitaphio Amici.

Continebit tumulus amici, viam, & lacryma-
 bilem querelam huius acerbissimi dissidii. Ami-
 sisse nos fati atrocitate partem corporis nostri, di-
 midium animæ, decus & praesidium, nos ipsos
 Nullos unquam fratres amasse inter se ardenti-
 us: summam fuisse consensionem studiorum,
 sententiarum, voluntatum. Contemnemus præ
 amicitia nostra, Pyladem, & Orestem, These-
 um, & Pirithoum. Denique dolorem ex illius
 discessu, & praesentia desiderium, quanta ma-
 xima poterimus energia, & efficacitate declarabi-
 mus Exemplum nullum melius hoc ipso: Supra
 alia de causa positum fuit:

*Ablatus mihi Crispus est, amici:
 Pro quo si pretium dari liceret,
 Nostros diuiderem libenter annos.
 Nunc pars optima me mei reliquit
 Crispus, praesidium meum, voluptas,
 Pectus, delicia: nihil sine illo
 Latum meus mea iam putabit esse.
 Plusquam dimidium mei recepit.*

DE IOCOSIS ET SALSIS

Epitaphijs.

CAPVT LXVII.

A Culei, risus, & facetiæ non videntur incidere
 in Epitaphijs: at reliquæ virtutes Epigram-
 matum omnes. Sunt tamen nonnulla tempora,
 quibus Poëta in sepultos iocantur, liberiusque
 ludunt. Si fuerint agresti, & inhumano ingenio,

monstrosi, scurræ: si aliquo malo, & omnibus noto facinore astricti: si scortatores, auari, ebriosi, maledici, superbi, decoctores, vsurarii, tyranni; hæresiarchæ, prooitores. In quo genere videndum est, quam Christianismus noster facultatem nobis largiatur: imitandumque interdum exemplum Martialis, vt parcamus personis, dicamus de vitiis. Nonnunquam ex nomine mortuorum, pusilla statura, ingenio, moribus, euentu aliquo ridendi ansam arripiunt.

In Vesbiam iracundam feminam,

L. Q. tom. 1.

*Tres habuit furias quondam, sed Vesbia manes
Vt petijt, furias quatuor orcus habet.*

DOCTRINÆ EPITAPHICÆ
Appendix.

CAPVT LXVIII.

Qvi dicti sunt modi tres Poëmatum, cadunt omnes in Epitaphia: nam & solus Poëta loquitur, & simul sermonem aliis affingit, & ipse tacens *δοξαμαλκωσ* loquentes alios facit. Loquitur autem Poëta cum Musa, cum mortuo, cum viatore, cum genio defuncti, cum virtute simpliciter, aut cum ea virtute, qua mortuus fuit conspicuus, iustitia, pietate, constantia, &c. Musa, seu virtus, & ipse etiam extinctus, & in Græcis sæpe tumuli loquuntur cum viatore. Iucundus est ille modus, cum ipsum mortuum suos consolantem inducimus. Interdum viator solus, tumulus solus, mortuus solus, sacerdos solus, Musa sola. Ad maternum tumulum loquuntur filii, ad filiorum sepulcra mater, ad vxorum mariti, & vicissim ad maritorum vxores. Inueniuntur apud Ouidium in epistolis Heroidum breuiâ & eligantia Epitaphia, quibus Heroïnas illas suos casus exponentes facit Poëta. Tale est Didonis, quod etiam 3. Fa-
stor. reperitur.

TRA-

*Præbuit Aeneas & causam mortis & ensam,
Ipsa sua Dido concidit usa manu.*

Phyllidis.

*Phyllida Demophoon lato dedit hospes amantem,
Ille necis causam præbuit, ipsa manu.*

Hypermnestræ.

*Exul Hypermnestra precium pietatis iniquum,
Quam fratri mortem depulit, ipsa tulit.*

Caietæ in 14. Metamor.

*Hic me Caietam nota pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit igne, cremauit.*

Solent adhuc Poëtæ illi antiqui, leuem terram
optare mortuis, & quietem ostibus, quasi in iis re-
sideret sensus aliquis.

Virgil. Eclog. 10.

O mihi tum quàm molliter ossa quiescent,

Tibullus.

*Et benè discedens dixit, placideq; quiescas,
Terraq; securæ sit super ossa leuis.*

Propertius.

Vt mihi non ullo pondere terra foret.

Idem.

Sit tibi terra leuis mulier dignissima vitæ.

Ovidius.

Et patris Anchisa molliter ossa cubent.

Idem in morte Tibulli.

*Ossa quieta precor tuta requiescite in urna,
Et sit humus cineri non onerosa pio.*

Martialis.

*Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra grauis fuerit: non fuit illa tibi.*

Illud item magnæ voluptati est Poëtis man-
suetioribus, animantes quasdam Epitaphiis pro-
sequi, in quibus illi sua ingenia experiuntur, suos-
que mirificos illos lepores ostentant. Luctus pas-
seris apud Catallum: Lugete ô Veneres, &c. vide
supra, Pfitiaci Epitaphium apud Ovidium.

*Colliget ex ipso Domina placuisse sepulcro,
Ora suère mihi plus aue docta loqui.*

F 7

Verun-

Veruntamen canibus & catellis potissimum
hic defertur honos, propter insignem fidelitatem,
& amorem erga dominos.

DE VARIIS VERSVVM
Affectibus.

C A P V T L X I X .

Affectus partim sunt virtutes, partim vi-
tia, sique aut probati lege, aut permisso usu,
aut usurpata licentia: sunt vero vel communes
vel proprii. Constituunturque aut in partibus, aut
in qualitatibus, aut in ordine siue dispositione.
In partibus, vel tanquam in dictionibus, vel tan-
quam in pedibus. Non enim semper æquales sunt
pedibus dictiones. Itaque in quantitate versabi-
tur res, vel continua, velu i cum eas numeramus.
In qualitatibus contemplantur rythmam, siue
concinnitatem In ordine, cum disponentur aliter
atque aliter vel dictiones, vel pedes, De propriis
Iambici, Anapæstici, Trochaici, Hende asyllabi,
Dactylis verius affectionibus copiose in Proso-
dia, & paucis supra dictum est.

Heroicus, Hexameter, Pythius Victorino, quod
interfecto Pythio dracone compositus esse dica-
tur, Longus, Epicus, ἑπὶ ἡρωϊκὸς σίχῃ, ἑξά-
μετρος, ὁμήρου, &c. vide supra, & Prosodiam.

Bellici Latine, ἡγεμόνωνι Grace Grammati-
cis dicuntur, qui binos habent dactylos, ac in me-
dio sineque singulos Spondæos. Insurgunt enim
cum Dactylis ad pugnam, & pedem figunt in
Spondæo, ut manum conterant: deinde quibus
Dactylis præliantur, & quiescunt in victoria Spon-
dæo.

Eruerint Danaï, quæq; ipsa miserima vidi.

Rursus agam pelago, & ventis dare vela iubebo?

Periodici seu Commutati, in quibus Dactylus
& Spondæus progrediuntur alternatim.

Troia per undosum peteretur fluctibus æquor.

Buco

Bucolici, in quibus pes quartus finitur dictio-
ne integra, & pede Dactylo.

Nos patria fines, & dulcia liquimus arua.

Namq; erit ille mihi semper Deus: illius aram.

Vel pede Spondæo.

Tityre tu patula recubans sub tegmine fagi.

Sapphici, qui in prima & ultima regione Spon-
dæum habent, in reliquis vero Dactylum.

Pars in frustra setant, verubusq; trementia figunt.

Sapphici aliis dactylos quatuor duobus clau-
dunt Ipondæis.

Claudere dactylicas acies geminis spondæis.

Paripedes, seu ἰσοχρονοὶ, ταυτεποδες qui pedes
eosdem vsque ad finem habent, sunt duplices:

Spondæici, qui ex inersis Spondæis constant.

Olli respondit Rex albai longai.

Dactyliici, qui ex solis Dactylis.

Sidera pallida diffugiunt face territa luminis.

Perfecti, Illibati, Integri, Græcis τελείοι, sunt
quibus nihil deest, neque oratio, neque concin-
nitas: qui non sunt coacti, numerosi tamen.

Infantum Regina iubet renouare dolorem.

παμμερής versus dicitur, quo omnes orationis
partes continentur.

Hei, si tunc flentem hunc rapuisset in aethera Mauors,

Ad me continuo, licet, ab fera verte precantem.

At quem, tum Iuno supplex his vocibus usa est.

In hoc coniunctio soium & interiectio desunt.

παιγρημαίον dicitur, qui omnes literas
continet.

Duc Zephyre exurgens purum cum flatibus aequor.

Fistularis, ab aliquibus Scalaris seu ascendens,
cui paulatim increscunt, & ab vna ad plures auges-
cunt syllabæ, vt in fistulis cicutarum ac canna-

rum altitudo Rhopalus Seruio dicitur, παρὰ τὸ
ρόπαλον, συρρυγοειδής, κλιμακωτὸς, ἀναβαίνων.

Si cupis ornari virtutibus Heliodore.

Spes Deus, æternæ stationis conciliator.

Tibici-

Tibicines nonnulli nominarunt, cum à quinque syllabis devenitur ad vnam.

Vestigalibus armamenta referre iubet Rex.

Tibicinem alii versum illum vocauerunt, in quo aliquid infarcitur, sc. quod metri legem hiulcam sustentet.

Aspectans siluam immensam, & sic forte profatur.

Forte, est pro tibicine in versa, non autem ipse versus Tibicen est.

Nodosos nominant, in quibus verba sequentia syllabis priora superant, & instar nodorum gradatim dupliciter assurgunt.

Sit de te vel gutta meis aspersa medullis.

Æquiuoci, quos maiores nostri à leonis præstantia Leoninos dixerunt, adeo iisdem probati, ut sine illis quidquid scriberent, ineptum putaretur: sunt qui æquali modo in cæsura, & sine terminantur.

Si Troia fatis aliquid restare putatis.

Vir precor uxori frater succurre sorori.

Tu præsens cura, Domino committe futura.

Echici Echoici Seruio, in quibus sonus vltimæ syllabæ congruit penultimæ.

Exercet mentes fraternæ grata malis lis.

Femina dira viri nex est, & terribilis lis.

Qua res, ede, graues sunt in amore? Mora.

Vel in quibus arte elaboratur extremæ vocis repetitio vel tota, vel fracta, ab inexpectato plerumque responsans, aut materiæ nouæ ansam ministrans, semper tamen præcedentis vocis imaginem repræsentans: vnde & Echo ipsa ab Horatio Imago dicitur, quasi Imitago; ut Porphyrioni placuit.

Garrula dic Echo quod sit mihi nomen, amæno

Tristia concentu funera solor? O L O R.

Quid precor ignauus tandem nanciscitur? I T V R:

Hicne ad pauperiem postmodo vadit? A D I T.

Quid mihi propositum est propter quod munia curans

Qualiacumq; nihil non bene sonor? H O N O R.

Ecquid

Ecquid precipuè fucatos inter amicos

Consuevit mentes consolidare? D A R E.

Quid facit ut tutos praestet mihi ianua somnos

Post cœnam, subijt nox ubi sera? S E R A.

Eua tibi qualis visa est, quæ induxit Adamum,

Vt vetita auderet tangere mala? M A L A.

Quam pulvis quid homo est aliud, quam solis in aestu?

Flosculus, aut potius quid nisi fumus? H V M V S.

Pro calamis, librisq; pigro quæ digna supellex,

Os rudis infedit cui sribiligo? L I G O.

Cadendusne piger ferulis virgisq; magistro,

Is licet admoto verberare fletit? E R I T.

Quid Laurentius est Christi pro nomine passus?

A S S V S. Quæ vox est facta per ora? V O R A.

Quis sauis Uriam telis occidit ipsum

Mandavit? David Siccine fas? S I N E F A S.

Ite procul cura, procul hinc simul ite querela:

Quis scit an hæc unquam lux remeabit? A B I T.

*In Echicis cauda respondet caudæ, in Leoninis
cauda ventri:*

*Macrocolus versus dicitur, qui vocibus pau-
cissimis, nimisque longis absoluitur. Tardigra-
dum sunt qui vocent.*

Innumerabilibus Constantinopolitani:

Conturbabantur sollicitudinibus.

Hæc in honorificabilitudinitaribus obstat.

*Æque vitiosus qui ex dictionibus breuissimis
constat.*

Similis, nex est trux, pax quid sit sub id, aut quo?

Non ex his est qui sic ut fas viuere curant.

Est in illis excessus, in his defectus.

*Mutilus, seu (vt Diomedes) Truncus, qui ab
initio littera vel syllaba defectus est, aut a breui in-
cipit ἀκέφαλον βραχυκέφαλον, κηλωβός.*

Arboris è trunco serpentis saucia morsu

Subijt ipsa feris transfigens unguibus anguem.

Fluuiorum rex Eridamus.

*Hulcus, Laxus, seu (vt Diomedes) exilis, &
quasi Blumbis, vt Victorinus Parte media latus,
dici-*

dicitur ille cuius medium brevis syllaba contra legem obsidet, σφηκώδης, σφηγεῖδης, λαγρός, quasi inanis, etiam strigosus posset dici.

Emicat Euryalus, & munere letus amici.

Delumbis Victorino, μείσρⓄ Græcè, quasi excaudatus, aut cauda minutus, cuius finem deformat Iambus, τελειάμβος; Victorino.

Mortem condemnant laudato vulnere Getæ,

Me quam amo virgo ferox fugit auia, nulla redamās.

Ad μείσρⓄ referre possis versus quosuis, quorum fini syllaba, vel pes integer desit. Huc pertinent & illi versus imperfecti, quos vocabulo architectorum Donatus appellat Tigilla, Seruius Tibicines, qui in opere nondum absoluto, alios quasi sustentant. Ut; Cui Liger. Stant circum. Turnus ad hæc. Abluero, &c.

Procephalus, cui versus in capite, hoc est, in principio tempus superat.

Capitibus nutantes platanos, rectasq; cupressos.

Interdum syllaba redundans ad præcedentis finem quia mutilus fit, transfertur, ut apud Horarium ex Adonio auferimus ad integrandum Sapphicum antecedentem.

Cnosphæ non gemmis, neq; purpura

Venale nec auro.

Idem alio loco.

Labitur ripa Ioue non probante

Vxorius. annis.

Procoelius, προκοίλιⓄ, προκόστωρ ventricosus, qui in ventre extumescit; hoc est, cuius in medio aliquid exuberat.

Inter se coisse viros, & discernere ferro.

Dolichurus versus est, cuius cauda, hoc est extremum habet aliquid prominens, vel abundans.

ΔολίχρⓄ, μακροσκελός, ἐπίσρⓄ.

Et dulcem musti Vulcano decoquit humorem.

Interdum duæ syllabæ, tam in principio quam medio, & fine in vnam concresecunt,

Eqs.

Eosdem habuit secum quibus est elata capillos.

Seu lento fuerint aluearia vimine texta

Atq; hinc bullato spoliauit Amazona baltheo.

Simplex, & Illaboratus, cuius dictio, dimensio,
& concinnitas inelaboratae ac solutae orationi si-
milis ἀπλολόγος, ἀπλοχήμεων, λογιειδής.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis.

Dic mihi Danaëta cuius pecus? an Melibœi?

Troia virum ac virtutum omnium acerba cinis.

Teres volubili ac coherente dictione conti-
nuus. κυκλοτερός, κυκλοτελής. Exempla infinita
apud Virgilium inuenias.

Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Confragosus Fabio, Fragosus, Diomedii, qui syl-
labis asperè coëuntibus catenatus est, χαλεπός,
τραχύς.

Belli ferratos postes Saturnia fregit.

Fraternas strages, perstrictaq; strata cruore.

Streperus est fragoso aliquanto in sono mol-
lior. Hunc Rauulum à raucitate Latini quo-
que dixere. μινυρός Scaligero, quas querulus di-
citur.

At tuba terribili sonitu procul ære canoro

Increpuit.

Eneruis, qui & Fluidus, est fragoso contrari-
us, hic vim suam lenitate & fluxu quodam amit-
tit.

Qui modò Nasonis fueramus quinq; libelli,

Tres sumus, hoc illi prætulit auctor opus.

Sonorus dicitur, qui maiestatem habet heroi-
cam ἠχητικὸς.

Postquam res Asia, Priamiq; euertere gentem

Immeritam visum est superis, &c.

Sonori proprium est implere aures sine offen-
sa. Vocales, quos Græci vocant φωνητικὸς, Sono-
ris proximi sunt: iidem cum illis, nisi sonus esset
remissior.

-----Furor impius intus

Sana

*Sæua sedens super arma, & centum vincetus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.*

Tumidi contrarij sunt Sonoris, constantq; iisdem & crassioribus vocalibus. In tumiditatis vitium assurgunt qui plus nimio conantur.

*Magnanimum Eaciden, formidatamq; Tonanti
Progeniem, & patria vetitam succedere caelo,
Diua refer.*

Vbique maior quam par est sonus. Vocalis, a, sextum repetita in primo versu. Tres continuæ voces Tetrasyllabæ, quarum postrema dimidium videtur continere versum.

Iniugis versus dicitur, cuius pedes nullam vicini syllabam subeundo finiuntur *âou. det. &*

*Nobis dulcia carmina, nobis dulcia vina,
Doctus nobilis atro semper rarior ovo.*

In huiusmodi versu non raro vitium est dispositionis, dum nimirum Monosyllaba intercedunt. Exempli gratia.

Nos Præceptor doctos iussit scribere versus.

Nobis rex sit talis qualis iam fuit ante.

Cacophonus, est ridiculus, incomptus, insuavis, in quo nullus decor, aut elegantia.

Sanguine fraterno primi muri maduerunt.

O Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tulisti.

Æquidicos nonnulli vocant versus, quorum dictiones omnes ab vna incipiunt littera.

Æquidicus aliis dicitur, qui singulis propositionibus, antithetas subdit dictiones. At hic orationis, non dimensionis est affectus.

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Hic ab aliis Contrarius appellatur, quod in eorum nominum, & verborum oppositio fit.

Politicos appellant, in quibus numerus syllabarum, non quantitas rhythmus, non metrum consideratur. Horum in hymnis ecclesiasticis frequentissimus vsus est.

Reciprocus, vel Retrogradus, qui à fine orsus,
RETRO-

retrogrado ordine fertur: idq; aut eodem carmi-
nis genere, aut diuerso, ἀντίστροφον.

Aurea sublimi tecta nitore micant.

Ex hoc recurrit Iambicus.

Quorum ingenio factum est, vt relegendo ea-
dem species referretur, idque vel eodem sensu,
aut etiam contrario.

Idem sensus.

Precipiti modò quod decurrit tramite flumen,

Tempore consumptum iam cito deficiet.

Contrarius sensus.

Laus tua, non tua fraus: virtus, non copia rerum

Scandere te fecit hoc decus eximium.

Fit etiam recursus per eadem elementa.

Signa te signa temerè me tangis & angis,

Roma tibi subito moribus ibit amor.

Si benè te tua laus taxat sua laute tenebis,

O vt ares animo nomina sera tuo.

Mobilem, & Proteum vocitant, cuius dictio-
nes sedem mutare possunt, sed rarum sine elegan-
tiz iactura.

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Perfide sperasti diuos te fallere Proteu.

Correlatiui Grammaticis sunt dicti, in quibus
ad verba singula, casus singuli referuntur.

Pastor, Arator, Eques, pavi, colui, superavi,

Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Concordantes vocant, in quibus voces quæ-
dam ita sunt communes duobus, vt seruiant con-
trariis.

Et canis in siluis venatur & omnia seruat.

Et lupus in siluis nutritur & omnia vastat.

Serpentinus, ὀφιδῶδης, ὀφιδῶδης, κύκλῳ
cum Hermogene vocari potest, quod in se recur-
rat initio consentiente fine.

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Hoc non tantum fit in vno verbo, verum et-
iam in hemistichio, hoc est, dimidiato versu.

Graia

*Graia iuuenca venit, qua te patriosq; penates
Perdat, id prohibe, Graia iuuenca venit.
Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,
Attice crede mihi, militat omnis amans.*

Intercalaris, qui inter versus inseritur, & post
versus aliquot repetitur. Apud Virgilium,
Incipe Manalios mecum mea tibia versus
Apud Ouidium.

Impia quid dubitas Deianira mori?

Græcis dicitur ἐμὸλιμον ἔω, ἐπιμελώδημα,
ἐπωδή πρὸς ασμα Theocriti scholastæ.

Interpositus, qui saluo sensu tolli potest, vt sunt
omnia epiphonemata, Græci, παρεμβεβλημένον
vocant, cuius species est Intercalaris, & No-
thus.

Tante molis erat Romanam condere gentem.

Nothus versus dicitur, qui temere insertus, ne-
que elegantiam habet, nec auctoribus eruditis
est dignus. Hunc Ausonius Spurium appellat,
quasi non γνήσιον, id est, genuinum, siue germa-
num, eo versu.

Quique notas spurys versibus opposuit.

Reperitur, qui eodem in opere semel atque ite-
rum ponitur, auctoris ipsius singulari iudicio, qua-
lis ille Virgilii:

*Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras,
de exitu Didonis, & Turni.*

Et iste Horatii.

Lauo suspensi loculos, tabulamq; lacerto.

quo ad Mæcenatem bis vtitur, primo Sermonum
& Epistolarum libro.

Distinctus, qui ad id quod est propositum, or-
dine respondet. Virg.

*Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus aeo
Iam grauior, Pelias at vulnere tardus Vlyssi.*

Neque in his, neque in cuiusquam alius præ-
ceptionibus magnum operæpretium erit, sine
scriptione: restat itaque, adolescens optime, vt
inge-

ingenii tui vires explores, atque aliquam antiquæ
elegantix, ex præstantissimorum Poëtarum ta-
bulis, imaginem depingas.

Omnes ante alios animo venerare Maronem

Atq; unum sequere, utq; potes vestigia seruat

Quod si forte tibi minus hic suffecerit unus

Adde illi natos sub eodem tempore vates.

Parce dehinc puer, atque alios nec quare doceri,


Ne te discendi capiat tam dira cupido.


Tempus erit, tibi mox cum firma aduenerit ætas,


Spektatum ut cunctos impunè accedere detur.


INstitutioni huic explendæ adprimè quidem
necessaria fuissent carminum diuersa Genera;
verumenimuerò cum illa, cum singulis suis for-
mis, exemplis à me illustrata, Parnasso Poëtico
Nicolai Nomesæii per me recognito sub calcem
adiuncta sint, hic recensenda non putauì: ma-
ximè quod vterque liber ex vnius eius-
demque Bernardi Gualtherii ta-
berna libraria pro-
deat.


F I N I S.











194856


ULB Halle


3

007 392 931



R VD 77





INSTITVTIO
POETICA,
 EX R. P. IACOBI PON-
 TANI E SOCIET. IESV
 potissimum Libris concia-
 nata.

BREVITER EIVS FINEM, PAR-
 tes, & cuiusque partis proprietates, adhuc qui-
 bus rebus verè bonum, omniq̃ numero
 absolutum, ac probabile carmen effi-
 ciatur, edocens.

OPERA M. IOANNIS BVCHLERI
 à Gladbach.

EDITIO SEPTIMA PRIORIBVS
 correctior, auctior, luculentior.



COLONIÆ,
 Sumptibus Bernardi Gualteri.
 ANNO M. DC. XV.